188 5

SYNODALES CONSTITVTIONES CENETEN. ECCLESIÆ

In SYNODO Diœceſana Emanatæ

Habita die 20. 21. & 22. Menſis Iunij Anni 1695.

SVB ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

MARCO AGAZZI

EPISCOPO CENETEN. COM. TARTII &c.



TARVISII, Typis Io: Baptiſtę de Blanchis. M.DC.XCV.

SVPERIORVM PERMISSV.

35.3.F.10

MARCVS AGAZZI

DEI,

Et Apoſtolicæ Sedis Gratia

EPISCOPVS CENETEN. ET COMES TARTII

DILECTO CLERO SVO.

QVàm fauſtus hic dies eſt mihi, quo, ſumma Dei clementia, Vos om- omnes hic in vnum congregatos videre, & peramanter amplecti permiſſum eſt.

Ad hoc, dilectiſſimi in Chriſto filij, Spiritu Sancto Præſide huc collecti ſumus, vt obtemperando Sanctæ Romanæ Eccleſiæ legibus, & Conſtitutionibus, ea validè ſtatuamus, adiuuante

Deo, quæ ad dirigendum Cenetenſis Eccleſiæ Gregem ad æternam Salutem fore conſpicimus opportuna.

Non mediocri fuit Nobis leuamine, quod cum ſummo noſtri ſpiritus gaudio, hanc Vrbem Cenetenſem, totamque Diœceſim à præſtanti, & nunquàm ſatis laudato Prædeceſſorum noſtrorum conſilio, prudentia, vigilantia, & pietate, nedùm optimè gubernatam, ſed etiàm opportunis Decretis ſtrenuè munitam fuiſſe perſpeximus; in illis enìm quòad Catholicæ fidei integritatem, quòad Dei cultum, quòad mores, aùt curam Eccleſiarum, & Animarum ritè, ac rectè peragendam ſpectat; nihil magis optandum eſt.

Quia tamen voracitate temporis, quæ ſanctè ordinata ſunt in deſuetudinem de facili cadunt, vèl per humanarum rerũ viciſſitudinem, vèl per noſtræ Naturæ prauitatem, aut per Miniſtrorum incuriam; nouas Conſtitutiones temporum etiam varietates expoſcunt. Perluſtrata per nos Diœceſi tota, quæ iam ſtatuta fuère, & pauca, quæ de nouo decernere, vèl immutare duximus, Deo auctore, Vobis exhibemus.

Mo-

Monentes in Domino Pietatem veſtram, ne propriæ obligationis obliti, Animarum veſtrarum æternam Salutem paruipendentes, ea negligatis, ſed ad inſtar vigilis Paſtoris ſedulam curam Gregis Vobis crediti in omnibus habentes, Oues veſtras verbo, opere, & exemplo agnoſcite, cuſtodite, dirigite, paſcite; ne ſummi Iudicis ſententiam in tremendo dierum in vos audiatis, ſed eiuſdem benedictionem merentes, cum Iuſtis æternis Præmijs gaudeatis, quod Dominus per maximam Clementiam ſuam omnibus Nobis concedere, & promiſſionis ſuæ participes miſericorditer efficere dignetur.

INDEX TITVLORVM.

DE Fidei Profeſſione. Cap. 1. Pag. 1.
De Verbi Dei Prædicatione. cap. 2. 5
De Doctrina Chriſtiana. cap. 3. 10
De Blaſphemia. cap. 4. 13
De Sacris Reliquijs. cap. 5. 16
De Imaginibus Sacris, & miraculis. c. 6. 19
De Repræſentationibus. cap. 7. 21
De Veneficijs, ac Magicis Artibus. cap. 8. 22
De Diebus feſtis, Vigilijs, & Ieiunio. cap. 9. 24
De Sacramentis in Genere. cap. 10. 30
De Sacramento Baptiſmi. cap. 11. 33
De Sacramento Confirmationis. cap 12. 39
& De Sacramento Pœnitentiæ.) cap. 13. 43
Caſus Reſeruati. 49
De Euchariſtiæ Sacramento. cap 14. 51
De Miſſæ Sacrificio. cap. 15. 56
De Sacramento Ordinis. cap. 16. 65
De Sacramento Extremæ Vnctionis. cap. 17. 70
De Sacramento Matrimonij. cap. 18. 75
De Exorciſmis. cap. 19. 81
De Oratione quadraginta Horarum. cap. 20. 84
De Indulgentijs. cap. 21. 87
De Horis Canonicis. cap. 22. 83
De Officialibus Chori, & Muſica. cap. 23. 99
De Canonicis, & Diſtributionibus quotidianis. cap. 24. 97
De Publicis Supplicationibus. cap. 25. 101
De Funeribus, & Exequijs. cap. 26. 105

De Sepulcris, ac Cœmeterijs. cap.27. 109
De Eccleſijs, & Altaribus conſtruendis, & conſecrandis. cap.28. 111
De Reuerentia Eccleſijs debita. cap.29. 115
De Bonis Eccleſiaſticis, & Locationibus. cap.30. 118
De Legatis pijs. cap.31. 122
De Decimis, & Oblationibus. cap.32. 125
De Beneficijs. cap.33. 126
De Parochis. cap.34. 129
De Congregationibus Parochorum, & Vicarijs Foraneis. cap.35. 135
De Vita, & Honeſtate Clericorum. cap.36. 139
De Peregrinatione, & Clericis peregrinantibus. cap.37. 144
De Seminario Clericorum. cap.38. 146
De Confraternitatibus, ac locis pijs, cap.39. 149
De Mendicantibus. cap.40. 152
De Regularibus, cap.41. 153
De Voti Emiſſione. cap.42. 157
De Iudæis, cap.43. 158
De Iudicibus Synodalibus. cap.44. 160
De Conſtitutionibus Synodalibus. 161
Declaratio S. Congregationis ſuper Reliquiis, & Feſto Martyris conſtituendo. 163
Decretum Generale ſuper eadem materia. 164
Decretum S. Congreg. ſuper Indulgentijs, 165
Declaratio S. Congreg. Conc. Trid. à S. R. N. Clemente P. P. VIII. approbata ſuper acceſſu Regularium ad Monaſteria Monialium. 167

I N D E X

Bullarum, ac aliorum Decretorum Conſtitutionum, & declarationum Summorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum, quæ SYNODO CENETEN.

Addita ſunt.

BVlla Gregorij XV. contra Sacerdotes in Confeſſionibus Sacramentalibus Pœnitentes ad turpia ſollicitantes, incipit: Vniuerſi Dominici gregis &c. Pag. 169.

Bulla Gregorij XV. de Exemptorum Priuilegijs circa Animarum Curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, Sanctimonialium Monaſteria, & Prædicationem Verbi Dei, incipit: Inſcrutabili &c. 173

Conſtitutio Clementis X., in qua Regularium priuilegia, quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, declarantur, incipit: Supernæ. 177

Declarationes aliquot S. Congregationis fel. rec. Vrbani P. P. VIII. auctoritate editæ ſuper decretis eiuſdem Congregationis de celebratione Miſſarum. 184

Decretum de non celebrandis Miſſis priuatis pro Defunctis in Feſtis Duplicibus. 190

Propoſitiones damnatę ab Alexandro VII., & Innocentio XI. 192

In nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

DE FIDEI PROFESSIONE.

Caput Primum.

I. QVoniam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & ad conſortium filiorum Dei peruenire, cum ipſa ſit velut ianua, per quam ad cœleſtem patriam tranſire debemus; ideoque omnium ſacrarum actionum initio Patres in Æcumenicis Synodis eius profeſſionem præponere ſoliti fuerunt: Nos MARCVS AGAZZIVS Epiſcopus Eccleſiæ Cenetenſis, Comes Tartij &c. eorum veſtigijs inherendo, ante omnia decernimus, vt prouiſi de beneficio eccleſiaſtico, cui animarum cura ſubeſt, intra duos menſes ab obtentæ poſſeſſionis die, fidem in manu no-

ſtra, vel Vicarij noſtri generalis, iuxta formam à felicis recordationis Pio P. P. Quarto præſcriptam, profiteri teneantur.

II. Hoc idem etiam de ijs debet intelligi, qui aliquam Dignitatem, aut Canonicatum in Cathedrali noſtra obtinuerint, qui non tantùm coram Nobis, aut Vicario noſtro, vt ſupra, verùm etiam in Capitulo fidem emittere teneantur, aliter fructus ſuos ſe minime facturos pro certo teneant.

III. Concionatores Regulares, cuiuſcumque ſint ordinis, nullis in Eccleſijs, etiam ſuarum Religionum, Conciones facere valeant, niſi prius huic fidei profeſſioni ſatisfecerint. Si quis autem eorum ſemel coram Nobis, aut Vicario noſtro generali, hoc munus fuerit executus, eidem atteſtationem noſtræ Cancellariæ ſigillo impreſſam exhibere ſufficiet.

IV. Eodem modo Magiſtri, qui Grammaticam, Muſicam, Arithmeticam, cæteraſque artes liberales priuatè, vel publicè quo quo modo docere intendunt; librorum venditores, ac impreſſores ſuis muneribus fungi nullatenus permittantur, niſi Catholicæ profeſſioni, vt ſupra, ſatisfecerint.

V. Medicis, Chirurgis, & Sanctæ Inquiſitionis Aduocatis, ac Procuratoribus eodem modo fidem profiteri neceſſe eſt; quòd ſi id exequi neglexerint, Nos omnino non eſſe paſſuros, vt illi vltra tres menſes artem ſuam exercere valeant, pro certo ſibi perſuadeant.

VI. Vt faciliùs autem hæc noſtra Decreta ſuum finem obtineant, ad Parochos ſpectabit ſupradictos omnes de impoſita ſibi obligatione admonere, & Magiſtrorum nomina in ſua Parochia docentium ad noſtram Cancellariam deferre, & hoc intra menſem, vt eorum mores, & inſtituta cognoſcere valeamus.

VII. Man-

VII. Mandamus item, vt ſpecialem librum Cancellarius noſter Epiſcopalis paratum habeat, in quo eorum, qui profeſſi fuerint, & ſunt impoſterum profeſſuri, nomina ſcribantur, appoſitis ibidem die, menſe, anno, & teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis.

VIII. Si quis autem adeò temerarius fuerit, vt fidem noſtram Catholicam, omni remoto dubio amplectendam, in ambiguo conſtituere audeat, hunc ex conſortio, ac numero fidelium repellere intendimus, & hæreſis peſte infectum declaramus. Erunt ergo partes eorum, quibus animarum cura demandata eſt proſpicere, & ſummoperè euigilare, vt labem huiuſmodi ab animis fidelium quàm longiſſimè remoueant. Vetitos quoque ab Eccleſia libros retinere, aut legere, niſi ab ijs, qui à Sacra Congregatione eos retinendi, ac legendi licentiam obtinuerint nequaquàm permittant; eoſque aut Nobis, aut Inquiſitoribus deferri mandent.

IX. Ijs vero, qui ab hæreticis prouincijs, aut alijs ſuſpectis locis hùc veniunt, Parochi ſedulò mentem, oculoſque infigant; ac ſi quem hæreſis ſuſpicione inquinatum inuenerint ad tribunal Sanctæ Inquiſitionis denunciare teneantur, populumque, vt hoc idem faciat, ſingulis annis hoc edictum promulgando, opportunè commonefaciant.

X. Sed, vt ab hæreſis infectione oues regimini Noſtro concreditæ penitùs abſterreantur, ſeuerè, & diſtrictè committimus dictis Parochis, & curam animarum habentibus, vt ſi quem aut dictis, aut factis à Catholica doctrina etiam in dubio deficientem cognouerint, Sacram Inquiſitionem, aut Nos certiorem faciant, vt pro rei grauitate, pœnas in ipſum decernamus, & Diabolum ipſum in ſuis ſectatoribus proſternere valeamus.

XI. In hac quoque re aciem oculorum ſedula diligentia intendant Parochi, videantque, an Chriſtiani ſuis in Parochijs inueniantur, ſacrum ijs diebus, quibus tenentur, minimè audire curantes, aut auditionem huiuſmodi contemnentes, Eccleſiaſticas Cenſuras pro nihilo facientes, Sacerdotalemque gradum ignominijs ita deſpicientes, vt ab Agaſone aſellus ille deſpiciebatur, qui in dorſo Iſidis geſtabat effigiem.

XII. Omnes Parochi ſubditas ſibi animas ita edocere teneantur, vt ſi quando aliquis ſuorum Parochianorum ad Hæreticorum loca iter facere velit, priùs Nos, aut Vicarium noſtrum conſulant, paternas admonitiones, litteraſve accepturus, per quas inter cætera diſceſſio, & regreſſio, & temporis ſpatium, quo ſit abſuturus, præcisè declaretur. Quòd ſi diutiùs ijſdem in locis ei commorari opus fuerit, de ſua in Catholica fide perſeuerantia, Nos legitima atteſtatione commonere teneantur.

XIII. Vt denique fides Catholica exactè ſeruetur, ſacris Canonibus inhærentes, prohibemus Iudæos penès ſe habere famulos Chriſtianos, ancillas, aut Nutrices, ne falſis dogmatibus ipſos inficere valeant. Hac in Vrbe tranſgreſſores grauibus pœnis plectemus; & ſæculares Iudices in Domino rogamus, vt Iudæos ſibi ſubditos à ſimili auſu, grauiſſimis in eos pœnis animaduertentes, compeſcant. Diebus feſtis Chriſtianorum opera minimè vtantur, & pileum rubeum ferre ne prætermittant, vt à Chriſtianis dignoſcantur, ſub pœnis iam decretis, & in ædicto, quod per Cancellarium noſtrum promulgandum curabimus, inferendis.

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE, ET DE PROFESSORIBVS EIVSDEM.

Caput II.

I. Fidei profeſſionem, quæ ſalutis noſtræ fundamentum eſt, non immeritò ſequi debet Verbi Dei prædicatio, qua Chriſtianum altius conſurgit ædificium; quàm ſublime autem ſit Verbi Dei annunciandi officium, ex ipſa prima Sanctiſſimæ Trinitatis perſona colligere licet; nam ſicut Deus Pater ſe ipſum intelligens, Filium ſibi per omnia ſimilem, & æqualem producit; ita Prædicatores (quantum tamen humana diuinis comparari poſſunt) quot doctrina ſua ad viam ſalutis perducunt, tot quaſi filios Deo pariunt: & ſicut Verbum eſt filius Dei naturalis; ita hi, iuxta Diui Pauli doctrinam, eiuſdem adoptiui efficiuntur. Hinc colligant, qua vitæ ſanctitate, qua doctrina, quo exemplo redolere debeant, qui hoc cœleſte munus aſſumunt: recepturi ſan'è menſuram plenam, confertam, & coagitatam, ſi illud pro dignitate exercuerint; ſin modo indebito, & prorsùs à Zelo Dei alieno, æternam ſibi, ac populis perniciem (quo Deus auertat) theſaurizaturi.

II. Illi ergo, qui ad hoc munus aduocantur, in primis Sacram Scripturam, probatiſſimoſque Patres perpetuò ante oculos habeant, ex quibus argumenta ſuæ prædicationis decerpant; nam à quibus ſaniora animarum pabula metere

poterunt, quàm ab ijs, qui tantùm in vinea Domini laborarunt? nunquàm immiſceant ſacra profanis, & potiùs ſint ſtulti cum Chriſto, quàm prudentes cum Mundo.

III. Poeticas fabulationes, & vaniloquia ad oſtentationem facta, quibus auditorum aures demulcentur, & interim animi corrumpuntur, penitùs effugiant. Quæſtiones potiùs Cathedram, quàm ſugeſtum requirentes, alibi diſcutiendas relinquant. quid enim vtilitatis eſt hæreticas prauitates ibi refellere, vbi ſimpliciores hominum mentes poſſent falſa doctrina facillimè inquinari? hoc ergo fieri omninò prohibemus.

IV. Illud autem, quod quadam iactantia ſæpe factum audiuimus, vt non nulli hominum ex præteritis futura prædicere contendant, quorum cognitiò ad Deum ſpectat, quàm diligentiſſimè effugiant; nouiſſimumque diem, ſicuti ad hominum licentiam à vitijs, & à peccatis abſtrahendam inculcare optimum eſt; ita ad certum tempus, quo ſit futurus, præſignare, nefas cenſemus; cum non ſit hominis noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater in ſua poſuit poteſtatè. Quarè ſacris Oratoribus illa præcipua intentio eſſe debet, vt chriſtianam pietatem auribus fidelium inculcent, peccatorum deteſtationem excitent, & ad lacrymas pœnitentiæ perducant, ſic enim opus facient Euangeliſtæ, & ſuum miniſterium adimplebunt.

V. Quomodo autem ſe gerere debeant Verbi Dei Enunciatores, ex Leonis Papæ Decimi Conſtitutione, quæ incipit: Supernæ Maieſtatis præſidio: ſatis dilucidè cognoſcere poterunt. Illud autem omninò effugiant, ne Principes Magiſtratus, Epiſcopos, & alios Præpoſitos Eccleſijs nimia verborum licentia offendere audeant, & hoc ſub pœnà excommunicationis Sanctiſſimo reſeruatæ, ac priuationis officij ipſo facto incurrendæ; ſicuti enim illorum muneri

con-

conceſſum eſt contra vitia verborum iacula dirigere; ita propria quorumcumque crimina nominatim proferre eſt omnino vetitum, ac punitione dignum.

VI. Studeant autem ante omnia ſuis cohortationibus accendere Patribus charitatem in filios, filijs obedientiam, & obſequium in Patres; coniugatis, vt fidem ſeruent ad inuicem; ſeruis, vt Dominium ſe ſubdant; Dominis, vt erga ſeruos humanitatem adhibeant: idem enim eſt omnium Dominus, qui voluit ſe facere ſeruum, vt nos ſeruitute liberaret. Denique licentiam iuuenum cohibeant, modeſtiam doceant, & temperantiam ſenibus; cum illud ſit tritum vetuſtate prouerbium: Sene libidinoſo nihil obſcænius.

VII. Sacri autem Verbi Dei Relatores, ſuos maximè in eo auditores increpent, quòd Deum, B. M. V., & Sanctos conuitijs, & blaſphemijs afficiant. Maximum ſiquidem ſcelus eſt, quòd ille, ad cuius nutum columnæ Cæli contremiſcunt, verbis iniquiſſimi Dæmonis arte excogitatis, tantoperè offendatur, & puriſſima Virgo, Dei Mater vocibus immundis fœdiſſimè deturpetur.

VIII. Nec non maximè inuehant contra veneficos, incantatores, & Sagas; nam iſti tales, ſiue homines, ſiue fæminæ ſint, pacto, vel tacito, vel expreſſo cum Dœmone, vt ſuo ſatisfaciant appetitui inito, ipſam animam, quam tanquàm depoſitum à Deo acceperunt, ſub Diaboli poteſtate committere non verentur.

IX. Paraſitos, qui nullum alium prȩter ventrem Deum nouerunt, & cui omni tempore dant operam, vt ſi quomodò poſſint, eius appetitui ſatisfaciant, acritèr obiurgent, & à cauponis, in quibus maximum vitȩ ſpatium magno cum ſcandalo, & iactura conſumunt, vociferationibus ex cordis feruore emanantibus abſtrahere conentur; com-

minando illis ſenectutem eorum omni miſeriâ plenam , & quod terribilius eſt ; vitæ æternæ perpetuam amiſſionem .

X. His de rebus , quæ hactenus dictæ ſunt , Parochorum officium erit, Prædicatores ibi deſtinatos , antequam prædicationem incipiant admonere , & de hac noſtra voluntates eos certiores facere, Decretaque Synodalia in hac parte eiſdem manifeſtare .

XI. Ipſi autem Parochi ſciant, ipſoſmet, ex munere ſibi iniuncto, ad populis illorum curæ demandatis prædicandum teneri, diebus præſertim Dominicis, & feſtis ſolemnibus; inſtituentes eos , non tantùm verbo diuino, quod eſt cibus animæ, ſed etiam (quod non minimi faciendum eſt) exemplo, & ſanctimonia, ex qua tanquàm ex ſpeculo dirigendæ vitę imaginem intueantur.

XII. Si vero inter Miſſæ ſacrificium ſuper ſacrum Sugeſtum, quod paſſim à Parochis fieri ſolet, Verbum Dei enunciare velint , caſulam antè deponant , & caput bireto tegant. At ſi ante altare ſe verterint ad quod celebrant , ſacris, vt ſunt, veſtibus induti, in cornu Epiſtolæ ſe recipiant, & populo Concionem faciant de ijs rebus , quæ ſibi magis propriæ videbuntur; habita ſemper ratione perſonarum, & temporis, erutis vel à Patribus, qui de illius diei Euangelio diſſeruerunt, uel ex Cathechiſmo ad Parochos eruditiſſimè conſcripto.

XIII. Regulares cuiuſcumque ſint Ordinis , ac Religionis, ſi in proprijs Eccleſijs ſermocinari uoluerint, Noſtram prius recipiant benedictionem ; ſin autem in alienis , etiam licentiam eiuſdem rei cauſa petere debeant , obtineantque ; ac ſine his nullo modo Pulpitum aſcendere , & populum alloqui audeant . Qui contrafecerint pœnas à Sacro Tridentino decretas, aliaſque arbitrio Noſtro decernendas,

das, ſe noucrint incurſuros: Parochique ipſi, qui ſine noſtris litteris eos prædicare permiſerint, ſe quoque non leui pœna feriendos ſciant.

XIV. Verbi Dei Satores omninò caueant, ne eleemoſynas quaſcumque ſine noſtra, aut Parochorum notitia poſtulent; at ſi quandoque poſtulare voluerint, tunc cauſam poſtulationis huiuſmodi adducant, nempè aut pro paupere familia ſubleuanda, aut pro miſerabili perſona, aut loco, puellæ nubili, aut Virgine Deo in aliquo Monaſterio dicanda. Propria autem Monaſteria, cum eis libitum fuerit, populo commendare concedimus.

XV. Denique eos omnes, qui præſertim in ijs locis prædicant, in quibus Iudæi inueniuntur, in viſceribus Ieſu Chriſti hortamur; vt omni ſtudio ipſos Iudæos reuocent à caligine ad lumen veritatis, ex perditione ad vitam, ex vmbra Synagogæ ad corpus veræ Eccleſiæ, quæ eſt Catholica Romana. Executuri ſanè profectum, atque in primis vtile munus Apoſtolicum, ſi eos errorem ſuum cognoſcere, & ex perfidiæ ſomno iam tandem expergiſci contingeret.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Caput III.

I. NVnc à cibo ſolidiori, qui per Concionatores ijs miniſtratur, qui iam in Fidei profeſſione profecerunt, ad eos, quibus lacte opus eſt, deſcendamus. Quanta autem diligentia adhibenda ſit, vt paruulis Fidei Chriſtianæ rudimenta tradantur, non eſt, cur pluribus verbis demonſtremus, cum illud ſit veriſſime dictum: Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu; & ſicuti valdè cauendum eſt ne ſpinæ in agro Domini obortæ ſuffocent ſementem Patris familias, ſic in ipſo initio pueri optimis Doctrinæ monitis inſtituendi ſunt, vt poſtea cum ætate creſcentes, de virtute in virtutem proficere poſſint, & ex iactis in imo fundamentis, fabricam conſtruere celſitudinis.

II. Præcipua Doctrinæ Chriſtianæ tradendæ ratio his quatuor capitibus continetur. Primum eſt Symbolum Apoſtolorum. Secundum Decem præcepta Decalogi. Tertiò aſſignantur ſeptem petitiones, quæ in Oratione Dominicali continentur. In quarto Sacramenta reponuntur. His adduntur præcepta ab Eccleſia tradita: Septem Spiritus Sancti dona, & alia multa, quæ in libello Doctrinæ Chriſtianæ continentur, quæ quàmuis non ſint adeò cognitu neceſſaria, ſicut prædicta ſunt, tamen diligenter mentibus puerorum inculcanda.

III. Cum ergo Doctrinæ Chriſtianæ inſtructio ſit maximoperè neceſſaria, omnibus Sacerdotibus, & præcipuè Paro-

chis

chis precipimus, vt in tàm ſanctum opus omni vigilantia intendant maximè diebus Dominicis, & feſtiuis; paruulis ad ſonitum Campanę ad Eccleſiam vocatis; eiſque rudimenta Fidei, obedientiam erga Deum, & parentes, & illos etiam, qui ſunt ipſis loco parentum, tradere curent. Neque abs re fuerit inter Miſſarum ſolemnia per Parochos populis aliqua eorum explanare; quę ad potiora Fidei noſtræ capita pertinere videbuntur. Sciant prætereá Parochi, Nos irremiſſibiliter proceſſuros contrà eos, ſi ſegniores fuerint in exequendo perſonaliter opus tàm neceſſarium, & eorum obligationi prçcipuè incumbens. Reliqui vero Sacerdotes niſi fidem iuratam habuerint ſui Parochi de eorum frequentia ad docendam Doctrinam Chriſtianam ad Confeſſionem, aut prorogationem eiuſdem, nec ad beneficiorum concurſus ſe admitti nullatenus ſperent.

IV. In qualibet Eccleſia Confraternitatem Doctrinæ Chriſtianæ erigendam curabunt, eritque Parochorum enuntiare populis Indulgentias in hac re à Summis Pontificibus elargitas; vt cum numero docentium, & Diſcipulorum audientium doctrina pariter religiosè, ac piè augeatur.

V. In ijs autem locis, quæ propter ipſorum anguſtias huiuſmodi Confraternitatibus erigendis non ſufficiunt, duo, aut plures viri idonei Seligantur, qui ad pueros edocendos ſibi ſint adiumento; inuigilentque aſſiduis exhortationibus, vt tàm pium opus ſemper ad maiora prouehatur.

VI. Clerici tàm in ſacris, quàm Minoribus conſtituti ad hoc pariter docendi munus teneantur, & ſi negligentes in hoc docendi officio fuerint, aſcendere ad altiorem gradum nullatenus ſperent; & pro ſua in hoc negligentia Noſtram eis indignationem perpetuò minamur. Volumus au-

têm, vt cum ad examen acceſſerint, fidem ſcriptam, ac iuratam Nobis, nulla excuſatione ſuffragante, præſententent.

VII. Hortamur quoque Vicarios Foraneos, vt quotannis per ſe, vel ſi legitimè impediti fuerint, per alios, ſuam quiſque Vicariam circumeant, & exactè obſeruent, quæ huic operi ſedulitate à Parochis, alijſque incumbatur; vt ſi quid negligentius per eos actum fuerit, Nos admoneant, ac negligentium præſertim Clericorum nomina Nobis deferenda procurent.

VIII. Scolaſteria, ludoſque litterarios exercentes, Diſcipulos ſuos, ſaltèm ſemel in hebdomadam Doctrina Chriſtiana erudire ſtudeant, partem aliquam eius libelli memoriter recitare faciendo, aut ſaltem legere præcipiendo. Hoc verò nemini quamuis Sapientiſſimo debet eſſe pudori; quia hæc eſt denique ſola, & vera ſapientia, quæ in Dei cognitione verſatur; & Paulus ille magnus Apoſtolus, qui Iudæos diſputando confundebat, ſe nihil aliud ſcire profitebatur, quàm Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Quare opus adeò perfectum, nemo cuiuſcumque ſtatus, tanquam humile deſerere audeat; ſed potiùs tanquàm honorum apicem ſtudeat retinere: non enim debet pro abiecto haberi, quod ad animarum vtilitatem, & Dei honorem æquum eſt exerceri.

IX. Demum ſciant Rectores animarum ſe ſtrictè teneri ad docendum ſuos Parochianos non ſolùm circà prædicta, ſed particulariter obligatos eſſe eis explicare eo meliori modo, quo ſapere poſſunt Trinitatis, & Incarnationis myſteria; nam abſque cognitione eorumdem, nemo eſt capax Sacramentalis abſolutionis, pro vt ex 64. damnata Prop. ab Inn. XI. clarè patet.

DE

DE BLASPHEMIA.

Caput IV.

I. A Simplicitate puerorum, qui ſub Chriſtianæ Doctrinæ tyrocinio educantur, ad blaſphemos homines, qui ex Diaboli diſciplina malitiosè edocentur, deſcendere decreuimus. Quàm autem iniquum ſit maledictis diuinum nomen impetere, ex filio Sulamith, quem iuſſit Deus in Leuitico extra caſtra educi, & lapidari, facilè perſpici poteſt, & ad Moyſen dixit: qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſiue ille ciuis, ſiue peregrinus fuerit. Cum itaque indignum duxerit Deus, qui cum cæteris ſimul maneret in caſtris ille, qui blaſphemiæ crimine conuictus fuiſſet; quanto magis ex fidelium conſortio repellendus erit, qui verendum Dei nomen, B. M. V. & Sanctorum ſæpiſſimè in dies lacerare auſus fuerit?

II. Nos igitur Dei Miniſtri, quamuis indigni, hoſce homines impietatis ſatores ex Diœceſi noſtra extirpare omninò cupientes, hortamur, & in Domino obſecramus Magiſtratus Seculares, vt teterrimam hominum peſtem ex Orbe Catholico totis viribus expellere conentur, vtpote eos, qui non tantùm nati ſint ad leges diuinas deſtruendas; ſed etiam humanas poteſtates, ſi illis id fieri datum eſſet, euertendas: ſciantque ſe fore participes Indulgentiarum, quę à Leone Decimo tàm tetrum ſcelus corripientibus conceſſę fuerunt.

III. Qui

VII. Quia verò homines non tàm timore pœnarum à vitijs absterrentur, quàm ſpe præmiorum ad Virtutes excitantur, Confraternitates Nominis Dei in Oppidis, ac Villis erigendas ſuademus; earumque Confratribus priuilegia, gratias, Indulgentiaſque à Summis Pontificibus conceſſas, Parochorum erit ſedulò publicare, vt ſi pro animo, & amore verè fraterno in blaſphemos acres correctiones intenderint, cœleſtium chariſmatum immarceſcibiles copias, per ipſos Pontifices elargitas, conſequi poſſe non deſperent.

VIII. Sed cum hactenùs honori diuino pro viribus proſpectum ſit; illud hoc loco non prætermittendum videtur, vt ſi quomodo fieri poſſit, etiam proximi famæ proſpiciatur; amor enim Dei, & proximi ſunt duo præcepta maxima, & maximè inuicem coniuncta. Itaque vt deteſtabilem vſum, qui magno finitimorum ſcandalo in hac Ciuitate, fabricante Diabolo, iam dudum inualuit, ſtirpitus euellamus; abominabiles libellos famoſos componendi, eoſque ad valuas, & columnas affigendi, alijſque in locis exponendi morem peſſimum omninò interdicimus; & præterquamquod in contrafacientes pœnis grauiſſimis animaduertemus, impudentiſſimos huius generis homines, nec non complices, ac criminis quo quo modo participes, niſi reuelauerint Iuſtitiç auctorem, pœna excommunicationis eo ipſo abſque vlla declaratione teneri decernimus, & eius abſolutionem Nobis ipſis reſeruamus. Et vt nemo ſe propter ignorantiam excuſet, Curatis noſtræ Cathedralis, vt hoc noſtrum Decretum tribus diebus feſtiuis inter ſolemnitates Miſſarum vulgari lingua promulgent, vt omni excuſatione remota, ad pœnas prædictas abſque vllo perſonarum quarumcumque reſpectu deuenire poſſimus, omnino committimus, ac mandamus.

DE SACRIS RELIQVIIS.

Caput V.

I. Q Voniam in capite præcedenti pro viribus eorum eſt temeritati proſpectum, qui diuino Numini, Sanctiſque contemptum inferre conantur; nunc de reuerentia, quam Sacris Reliquijs homines Chriſtiani afferre debent, agere ſtatuimus.

II. Quamobrem Reliquias, oſſa, veſtes, aut alias res, cuiuſcumque generis ſint, quæ ſub Reliquiarum nomine tenentur omnino exponi vetamus, vt publicè adorentur, niſi legitimas, & approbatas fuiſſe pleno iure conſtiterit. Eas verò, quæ recenter, ac de nouo in noſtram Diœceſim fuerunt inuectæ, à Nobis tantùm cum earum documentis volumus approbari.

III. A Parochis omnibus eæ, quas in ſuis vnuſquiſque Eccleſijs veneratur, diligenter recognitæ in repertorio redigantur, ac intra tres menſes eius exemplar, originali penès ſe retento, ad noſtram Cancellariam tranſmittant, vt in libro ad hoc diſpoſito referatur. Si nulla de ipſis Scriptura queat inueniri, à ſenioribus loci, qui fide digni habeantur, traditiones deſumant; Nobis tamen ea de re redditis antè certioribus.

IV. Poſtquam autem de veritate Reliquiarum conſtiterit, tunc dignè colendas, & aſſeruandas, prout Sacroſancta Concilia, Lateranenſe præcipuè, ac Tridentinum decreuerunt, publicè exponi poterunt. Conditoria verò, in quibus detineantur, decenter conſtruant, ac intus, &

ſo-

200

foris exornent. Thecas aureas, argenteas, aut vitreas iuxtà Eccleſiarum facultates, in quibus eas collocent, comparari ſtudeant, ipſaſque ſerico panno eius coloris, quem Sancta Eccleſia in earum feſtiuitate adhibere conſueſcit, reuerentèr contegant. In fronte autem loculi, & Thecarum prætendatur cryſtallum, ex quo à Chriſti fidelibus ſancta illa pignora venerari, ac perſpici queant: nomina quoque ſingularum Reliquiarum publicè adſcribant; & eas, quæ nominibus fortaſsè carerent, ſedulò cuſtodiant, ſed minimè publicè exponant, locoque ipſi, vbi aſſeruantur, litteris maiuſculis RELIQVIÆ SANCTORVM inſcribant:

V. Nunquàm exponantur ad venerationem, niſi cum populus fuerit numeroſus, & hoc luminibus accenſis. Sacerdos quoque ſuperpelliceo indutus cum ſtola, ac pluuiali hoc munus exerceat, & thurificationem adhibeat: & hoc intelligimus tàm de expoſitionibus, quàm de proceſſionibus; quæ dùm fiunt, capſulas exponi ad eleemoſynas accipiendas omninò vetamus; ne quod fit ad Religionem, & Pietatem, propter quæſtum, & auaritiam factum eſſe videatur.

VI. Et quia in ordinatiſſima Eccleſiæ Catholicæ diſpoſitione, omnia ſuum gradum tenere debent; ideò cum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in proceſſionibus circumfertur, cui Latriæ ſuprema adoratio debetur, nullus cuiuſuis generis Reliquias ſimùl comportare audeat: eſſet enim ſeruum Domino comparem facere, & cultum Latriæ, qui ſoli Deo debetur, à rudibus populis facillimè cum Dulia confunderetur.

VII. Loca omnia, in quibus aliquid poſitum eſt Reliquiarum, ſiuè ea ſint Altaria, pauimenta, aut aliud quidvis, ne diruantur, effodiantur, aut aperiantur

ſumus enim ſine noſtra licentia indè remoueri. Vetamus pariter vllas Reliquias ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti propiùs collocari, ad infirmos deferri, & Laicorum manibus contrectari.

VIII. Quia verò non nulli ſacrilegia ſua ſub ſpetie deuotionis occultare non verentur, impijſſimas manus ad ea, quæ ſunt Dei, extendentes, & extra Eccleſiam aſportantes; Noſtræ Paſtoralis curæ duximus eſſe, etiam in hac parte prouidere; pœnas excommunicationis in eos ſtatuentes; qui Reliquias vllas Sanctorum ab Eccleſia ſurripere, aut aliò transferre auderent: Parochis etiam præcipientes, vt de minutiſſimis earum fruſtis ſedulam curam, ac diligentiam adhibeant.

IX. Inſignioribus Reliquijs, vt ad eas colendas maior reuerentia in fidelium cordibus excitetur, Lampas, ſi per Fabricæ, aut Luminariæ facultates licebit, ſemper, aut ſaltem diebus feſtis præluceat. In feſtis autem earundem ad Parochos ſpectabit aliquid ſuper vita, ac miraculis Sanctorum fidelibus exponere; vnde illorum imitandorum deuotione accenſi, vehementiùs in Catholica fide proficiant; quod facilius euenire non dubitamus, ſi animarum Curatores, & quicumque alij Sacerdotes, aut Clerici nihil commodi, aut lucri ex ſacris illis fragmentis nullo modo recipere præſumant; & hoc ſub anathematis pœna damnamus.

De Sacris Imaginibus, & Miraculis.

Caput VI.

I. TRaditis ijs, quæ ad ſacras Reliquias legitimè venerandas neceſſaria eſſe viſa ſunt, ad pias imagines, quarum cauſa in Dei Eccleſia tantà olim diſſidia fuere, maturè tractandas accedimus; ſiquidem non minor fructus habendus ille eſt, quem fidelis populus ex ſacrarum imaginum cultu colligere poteſt, quàm ille, quem ex ſacris Reliquijs deriuare deſuper attigimus.

II. Primùm igitur nullus ſit, qui ſacrarum imaginum vſum, quem, & Nicęnum Secundum, & Tridentinum Concilia contra Hęreticorum impietatem ſanctiſſimè approbarunt, damnare, aut reprobare præſumat; alioquin anathematis pęna ſe teneri pro certo habeat; eſt enim in veteri, ac noua lege præceptum de imaginibus; nam & ipſi Dei Arcæ, per quam Eccleſia Catholica figurabatur, duos Cherubim aureos ad vtrumque latus iuſſit Deus apponi; & in lege Euangelica Spiritus Sanctus Columbæ ſpecie, & Verbum incarnatum pluribus modis, & Pater æternus juxta Danielis viſionem antiquus dierum figurabatur. De Beata autem Virgine Dei Matre, Angelis, ac cęteris Beatorum cum Chriſto viuentium imaginibus, non eſt cur plura dicamus, cum ea res omnibus in promptu ſit, & quotidie in Sancta Dei Eccleſia ab omnibus Chriſti fidelibus illas coli, ac venerari videamus.

III. Vt autem Sanctorum imaginum cultus, ac veneratio eó, quo decet, modo procedat, Parochi eos, qui ſibi ſubditi ſunt, admoneant, nullam diuinitatem quibuſvis imaginibus in-

ineſſe, à quibus ſpiritualia ſubſidia petere debeant; ſed honorem illum, quem ante ipſas humiliter exhibent, ad Deum, & Sanctos, quos repræſentant, eſſe referendum: & qui ſecùs faceret, tanquàm Idolatra eſſet ab Eccleſia Catholica expellendus, & pœnis inſupèr grauiſſimis puniendus.

IV. Nulla in Eccleſijs imago recens ponatur, niſi prius conſilio à Nobis petito, & eam collocandi obtenta licentia. Eæ verò quæcumque fuerint non niſi ab hiſtorijs ſacris depromantur, & ad prototypi vitam efformentur; vt etiam depictę, aut ſculptæ ſanctitatis exemplar eſſe valeant: omnino à laſciuiori forma longè abſint: membra non denudentur, niſi quantùm, aut hiſtoria patiatur, aut pietas colentium per illam nuditatem poſſet aliquo modo augeri. Bruta vero animalia picturis, aut ſculpturis, niſi id neceſſitas operis, & hiſtoria paſſionis fieri exigat, nullo modo miſceantur. Hoc idem volumus obſeruari in hominis mortui, aut adhuc viuentis effigie, quam vetamus in Eccleſijs collocari; non enim decet aſſociare cum Sanctis eorum imagines, quorum animæ interdùm à Diabolis poſſidentur.

V. In priuatorum domibus proprium vniuſcuiuſque cubiculum Saluatoris, aut Deiparæ Matris imagine ſit munitum, ad quam manè ſurgens, & ſerò cubitum rediens, humiliter genua flectat, feruentique Oratione diebus innocentiam, noctibus mentem à prauis phantaſmatibus immunem exoret. Profanæ vero tabulæ, quæ libidinoſorum hominum illecebræ ſunt, quibuſque vtitur Diabolus, vt ſi quomodo fidelium mentes decipere valeat, ex ijſdem ædibus omninò debeant remoueri, ne puris anſa mentibus inquinandi, & bonis moribus ſe corrumpendi præbeatur. Quod malum vt radicitùs euellatur, Parochos, & omnes alios, quibus ſubeſt cura animarum, in Domino hortamur, vt hęc ſenſuum, & animorum inquinamenta pœnitus emundanda, tùm prædicationibus,

tum priuatis correptionibus omninò elaborent.

VI. Picturę, Statuæ, Tabulæ, Imagines, & ſi quę fuerint in Eccleſijs ità vetuſtate, aut ſitu corruptę, vt renouari, aut reſtaurari non poſſint, auferantur; non tamèn in profanos vſus conuerti, ſed in cinerem redactæ in Sacrario reponi debeant: & ſi fuerint Statuæ in Cæmeterij fouea ſepeliantur.

VII. In pauimentis Eccleſiæ, ac ſordidis locis, etiam extra Eccleſiam conſtitutis, neque Cruces, neque piæ imagines pingantur, aut collocentur; & ſi quę ſunt, pęnitus aboleantur; cum ſit contra pietatem, & animi Religionem, aut calcibus teri, aut aliquo inuerecundo actu deturpari: vnde & peccandi anſa, & res ſacras contemnendi occaſio porrigitur.

VIII. Nulla miracula recentèr facta recipi debeant, niſi priùs ea recognouerimus, ac approbauerimus; facti à Parocho loci de ijſdem certiores, vt quæ veritati, ac pietati conſentanea videbuntur, & ea, quæ de iure ſunt, decernamus. Et ne hac occaſione auaritia exerceatur, capſulas ad quæſtum, aut eleemoſynas accipiendas, exponi vetamus: ſicuti etiam commeſſationes, ac ebrietates, quæ vt plurimum, in Sanctarum Imaginum viſitatione contingere ſolent, quaſi huiuſmodi ſolemnitates per luxum, ac laſciuiam, non per abſtinentiam, & puritatem agantur, omninò reprobamus.

DE REPRÆSENTATIONIBVS.
Caput VII.

QVoniam Sacrarum Imaginum vſum pro noſtra tenuitate iam explicauimus: officio noſtro Paſtorali Repræſentationes, in quibus Chriſti Domini paſſio, ac Sanctorum Martyrum vita, ac mors fidelium oculis exhibetur, in præſentiarum occurrit: quæ quoniam retroactis

ctis temporibus magna cum fidelium vtilitate, ac pietate, Scenis committebantur, ſemina virtutum, ac bonorum morum habitæ ſunt: poſtquàm autem in hominum corda tepor irrepſit, ac paulatìm ardor friguit Religionis; quæ erant ad luctum, verſa ſunt in deriſum, & quæ ad ædificationem, facta ſunt in ruinam; & hac de cauſa Patres, quibus Dei, ac Sanctorum ſuorum honos ſemper in intimo cordis repoſitus fuit, inpoſterum ab huiuſmodi Repræſentationibus abſtinendum eſſe, meritò admonuerunt.

II. Nos ergo ipſorum Patrum veſtigijs inhęrendo, ſcenitas recitationes huiuſmodi, tàm in Eccleſijs, quàm extrà eas fieri prohibemus. Et ſi aliquando contingat, vt alicuius Sancti, vel Sanctæ vitam in noſtra Diœceſi aliqui repræſentare cupiant, id, niſi prius per Nos eis licuerit, nullo modo facere audeant.

III. Concionatoribus intrà noſtram Diœceſim verbum Dei enunciantibus clauorum ictus, Crucis oſtenſionem, comitantibus luminibus, die Paraſceues, in quo humanitas D.N.I.C. paſſa eſt, fieri permittimus; vt populus Redemptoris ſui paſſionem contemplando, ad pietatem, ac pœnitentiam magis commoueatur.

De Veneficijs, ac Magicis artibus, *Caput VIII.*

I. HActenùs de Fidei profeſſione, de Prædicatione, de Doctrina Chriſtiana; præterea de grauitate blaſphemiæ, de ſacris Reliquijs, de Miraculis, ac Repræſentationibus, quæ Nobis neceſſaria viſa ſunt, differuimus. Modò diabolicum maleficium, ac artes magicæ ſe ſe offerunt expediendę, quas vtinam Nobis diuinitùs conce-

de-

deretur, vt pęnitùs, ac radicitùs extirpare poſſemus: valdè enim timendum eſt, ne cum hęc peſtis in animos hominum, ac pręcipuè in aniculas irrepſerit, plures animę immaniſſimi Dœmonis verſutia deceptæ, in ima tartara trahantur.

II. Huiuſmodi itaque peſtem à finibus noſtris eliminare cupientes, omne incantationis, diuinationis, præſtigij, ac ſortilegij genus, tàm actiuè, quam paſſiuè, pœnitus prohibemus, ac nequiſſimos illos homines, qui ad proximorum detrimentum, aut Dœmones inuocant, aut circulos ſignant, aut ſtatuas fingunt, alijſque maleficijs operam nauant, aut deniq; (quod maximè horribile eſt) ipſam animam, pro qua Chriſtus Dominus mori non dubitauit, vel tacitè, vel expreſsè Diabolo tradere non verentur, vltrà pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendam, ſi prauæ artis effectu mors Maleficiato fuerit illata, etiàm prima vice, Curię ſeculari tradémus, vt in eos extremo ſupplicio animaduertat. Si verò non mors, ſed graue corporibus, aut bonis detrimentum fuerit illatum, perpetuo carcere mulctandos decernimus.

III. Omnes illos, qui Satanica arte ea, quę ſoli Deo aperta ſunt; nempe Geomantes, Hydromantes, Pyromantes ſcilicet per terram, per aquam, & per ignem prænoſcere, & ariolari præſumunt, ac plerumq; vana, ac mendacia portendunt; veneficia quoque, quæ ſpeculis, ampullis, cribris, aut alijs id genus inſtrumentis falſa pro veris effingunt, pecunias extorquentes, talibus figmentis animas ſimplicium decipientes, ſeueriſſima animaduerſione puniendos conſtituimus.

IV. Exercentes Chiromantiam, Metopoſcopiam, Neomantiam, auguria, aruſpicia, & alia, quæ ſunt vanæ, ac ſuperſtitioſæ Ethnicorum obſeruationes, quibus per lineas frontis, manuum, & nęuos: item per auium volatus, ac interiora animalium futura ſignificant, ſimili modo ſeueriſſimè puniemus.

V. Omnes quoquè, qui ſuperſtitioſis artibus, aut infirmos

con-

conualeſcere, aut res perditas inuenire, aut occultos Inuentores manifeſtare &c. per numeros quoſdam, aut Lunæ obſeruationem quouis modo procurant, damnamus, ac reprobamus: & ſi fuerint Clerici, grauiùs puniendos eſſe ſtatuimus.

VI. Parochi verò, ac Confeſſores, ſi ad eorum tribunal huiuſmodi aliquem, vel aliquos ſiſti contigerit, ſeueriſſime arguendos, ac corripiendos ex ſui muneris debito, cognoſcant. Volumus quoquè, etiamſi occultiſſimi fuerint, vt à quocunque, quouis modo id illi ad notitiam peruenerit, ne tàm graue ſcelus remaneat impunitum, Nobis, aut S. Inquiſitioni notitia deferatur.

VII. Illos demùm immaniſſimos, teterrimos, atque impijſſimos homines, quibus cum Diabolo in omnibus ſupradictis ſceleribus partem habere non ſatis eſſe videtur, niſi etiam res ſacras ipſius truculentiſſimæ ſuperbiæ committant; & ſanctiſſima Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta ſuis Veneficijs adhibeant; ipſamque Sacram Scripturam ad ſuas artes adhibere, aut in contumeliam, vel iocum accipere audeant, iuxta Sacrorum Canonum Decreta atrociter puniendos edicimus. Non enim parua pœna ab illis eſt expectanda, qui delicta in Deum tàm crudelia committere non ſatis habent, niſi etiam Dæmonem ex pacto, veluti anteſignanum adhibeant; quem tamen habebunt poſt obitum tortorem, quem nunc ſuorum fecerunt ſcelerum ductorem.

De diebus Feſtis Vigilijs, & Ieiunio.

Caput IX.

I. DIes feſtos in ipſa Mundi Creatione nobis omnium rerum Opifex inſinuauit, cum Creationis opere perfecto

204

ſecto, requieſcere voluit. In Exodo autem iuſſit, vt dies Sabbati ſanctificaretur; dicens: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die Sabbatum Domini tui eſt: non facies in eo opus*. Hic dies in lege Moyſi obſeruatus fuit, tanquam ſolemnis: quoniàm verò Chriſti Domini aduentu cultus Moſaicus, & Cæremoniæ erant antiquandæ; ideò etiam Sabbatum in ea parte, qua fuit Ceremoniale ſublatum eſt, & in diem Dominicum ab Apoſtolis translatum, qui etiam, & eorum Succeſſores in Eccleſia alios feſtos dies inſtituerunt, in quibus diuinorum beneficiorum memoriam piè, ac ſanctè recoleremus. Sed (eheù) quàm à recto fine, noſtri temporis homines aberrarũt! Iam enim non ad Deum colendum, non ad diuina præcepta adimplenda; ſed potius ad commeſſationes, ebrietates, & res ſęculares agendas dies feſti inſtituti videntur; vt nihil omnino negotij ſit, quod in id tempus diuino Numini emancipatum, diabolicè non transferatur, & totum in negotijs ſæcularibus non occupetur. Quarè Parochi partes erunt, feriò inuigilare, vt debitus diebus feſtis Deo cultus exhibeatur, ſtudeatque populo inculcare, quàm graue ſit crimen huius tertij præcepti tranſgreſſio, quod tempus Deus Religioni, diuiniſque dicatum actionibus, ac ſanctis rerum officijs, conſecratum eſſe voluit.

II. Singulis diebus Dominicis animarum Curatores, quiſq; in ſua Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia feſtos dies, eorumque vigilias de præcepto, quæ in futura hebdomada occurrere contigerit, ne vmbram excuſationis fideles prætendere valeant, populo annuntiare non ommittant, & tàm feſta, quæ ſunt de præcepto, quàm quæ de conſuetudine, aut deuotione cum obligatione Miſſam audiendi, Orationibus inſtandi, diuinis Officijs aſſiſtendi, & abſtinendi diebus feſtis de pręcepto à ſeruilibus operibus, nec non libertatem operandi, ſupradictis diebus feſtis de conſuetudine, vel deuotione, clarè, diligenter, & cum diſtinctione, ne fidelium conſcientiæ decipiantur, exponant.

III. Omnes quoſcumque Operarios, & Agricolas à ſeruilibus

operibus, per quæ dies feſti violantur, Parochi præcipiant abſtinere, doceantque eos, ſanctificationem feſtorum à dimidio noctis præcedentis incipere, & in dimidio noctis ſequentis deſinere, vt intrà hoc temporis ſpatium nihil ſeruile exercere, curribus, iumentis, aut alio quouis modo ſarcinas vehere, aut circumferre liceat: ſimilter tàm vigiliarum, & quatuor temporum, quàm Quadrageſimæ ieiunia eodem modo incipere, quo dies feſti, in quibus vnica comeſtio ciborum non vetitorum circa meridiem fieri permiſſum eſt; ità tamèn, vt ientaculum, veſpertino tempore, leuitèr de cibis non vetitis, ab Eccleſia toleratum, non excludatur.

IV. Diebus feſtis de præcepto, vt mens Chriſtianorum magis libera in Deum feratur, vetamus publicè exponi quaſcumque merces; tabernas aperiri: exceptis tamen piſtoribus, & pharmacopolis, & alijs ad vſum vitæ neceſſaria vendentibus, quibus permittitur partem Officinæ aperire; vt etiam Tabernarijs, & Sutoribus; vt populus ſibi neceſſaria ad victum, & cultum ſummo manè queat ſibi præparare; vt poſteà, negotijs humanis derelictis, ad diuina officia ſe transferat, & diei reliquum ſacris operibus deuotè diſtribuat. In ſolemnitatibus autem Paſchatis, & Natalis Domini, tabernæ, cuiuſcumque generis ſint, nullo modo aperiantur; & qui contra fecerint, pœnis, feſtorum violatoribus impoſitis, obnoxios eſſe decernimus.

V. Parochi, qui à feſtorum violatione ſuos Parochianos auertere debent, in licentijs concedendis ſint valdè reſtricti, & potiùs reſpiciant Dei honorem, quàm hominum vtilitatem, & nunquàm niſi neceſſitas vrgeat, opus ſeruile diebus feſtis exercere permittant. Hoc tamen licentiæ genus eorum conſcientiæ relinquimus; ſed in his concedendis à quocumque commodo temporali, lucro, vel lucri vmbra, omninò ſe abſtinere mandamus.

VI. In ipſo Eccleſiæ veſtibulo, aut Cœmeterio nihil vendendum exponatur, & ſi alitèr facere aliquis audeat; à Paro-

cho

205

cto repellatur. Choreas quoque diuinorum officiorum tempore fieri prohibemus, ſunt enim vitiorum fomenta, quæ non rarò in ſtupra, adulteria, & alias peſſimas libidines conuertuntur: ideòque Parochi, quantùm fieri poterit, populum ſuum ab illecebris arcere, & cum Domino exultare procurent.

VII. Cum diem feſtum, qui Titulari Eccleſiæ dicatus eſt, maiori pietatis ſtudio, quàm cæteros coli conueniat, videat diligenter illius Eccleſiæ Parochus, ne ludis, Bacchanalibus, & tripudijs conteratur; ſed potius ſpiritualibus exercitijs impleatur. Idcircò plebem prædicatione, ſupplicationibus, litanijs, alijſque pietatis operibus ſtudeat detineri, potius quàm per vicos, & tabernas luxurioſè diuagetur. Et quia à pleriſq; eorum, qui ruri morantur, ſolent Sacerdotes ad ſolemnitatem conuocari, omnes talari veſte, & cottis mundis induti, & ea, qua decet, moderatione ornati, diuinis officijs in Choro aſſiſtant; vt ex eorum modeſtia Sęculares bonorum operum exempla, & vitæ præcepta doceantur: quod tùnc magis eueniet, ſi frugalis menſa adhibeatur, nec ſuperfluus Bacchus per menſas ingurgitetur, ſi enim videant Sacerdotes hoc facientes, quomodo ab ijs redargui poterunt, cum maiora ſuis ab eis flagitia committi viderint?

VIII. Parochi ad ſuæ Parochię ſolemnitatem alios Sacerdotes inuitantes, ſi habeant facultatem aliorum Sacerdotum, qui ſibi ſint adiumento, ab ijs omninò abſtineant, qui Eccleſiarum ſuarum Curæ inuigilare tenentur, præſertim ſi dies feſtus alibi etiam fuerit ſanctificandus: ſi verò nihilominùs Parochi inuitati ire uelint, uel alium Sacerdotem domi relinquant, qui ſuas uices ſupplere ſit aptus, uel pridie, aut aliò die populum de ſua abſentia commonefaciat, eumque ad uiciniorem Eccleſiam, ubi ſacrum audiat pergere hortetur. Tutiùs tamèn fuerit, ad animarum cuſtodiam alium domi relinquere.

IX. Et quia ad dierum feſtorum cultum deſtruendum, uel certè minuendum, uſus quidam irrepſit proceras arbores inci-

dendi, & ramis eius vittas, uel alia munuſcula appendendi, eaſque ad domos adoleſcentularum plantandi, ut earum animos ad prauos alliciant appetitus: & hoc potiſſimùm fit Kalendis Maij, quo die SS. Apoſtolorum Philippi, & Iacobi ſolemnitas celebratur: ſicque talium manuſculorum occaſione deuotio ſancta frigeſcit, & libido magìs Dœmonis incitatione efferueſcit: ideò tales arbores tanquàm damnoſas, & maledicas omninò damnamus, & ne dies benedictionis fiat maledictionis, à noſtra Diœceſi pœnitùs exterminamus, & Parochos, vt talem rem impediant in Domino monemus.

X. Et cum verum ſit illud, quamquàm poeticè dictum, quòd *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*: hinc omnes Magiſtratus, & cœteros dignitate fulgentes, vt in Ciuitate ad Cathedralem, in Oppidis ad maiores Eccleſias conueniant, in Domino hortamur: eorum ſiquidem præſentia inferioribus, & plebeis maiorem ergà Deum, & ſe ipſos obſequium excitare, & ad capitis æmulationem inferiora membra prouocari, haùd dubium eſt. Hoc autèm, vt omnibus feſtiuis diebus frequentare, Chriſtianæ pietati conſonum eſt; ſic præcipuè in ſolemni Paſchatis, & Natiuitatis Domini feſtiuitate obſeruare ſtudeant, ſanctiſſimam, ac viuificam hoſtiam ex noſtra, ſeu alterius celebrantis manu ſuſcepturi.

XI. Dedicationes Eccleſiæ, quę in Io: Euangelio Encęnia vocantur, quanto cordis deuotione celebrari deceat, ex eo colligi poteſt, quòd Dominus noſter aliquando ijs adeſſe dignatus eſt; & illius diei memoriã quotannis celebrandi perpetuus Eccleſię Catholicæ vſus inualuit. Quarè in vnaquaq; huius noſtrę Diœceſis Eccleſia ſolemnitatem huiuſmodi, etiamſi dies Dedicationis à die Titularis fuerit diuerſus, volumus piè celebrari, & Parochi partes erunt, populum admonere, vt diuinis interſit, opera ſeruilia ne faciat, ac ſalutaribus exercitijs aſſueſcat.

XII. Omnes quoſcumque operarios, & agricolas diebus feſtis de præcepto à ſeruilibus operibus abſtinere præcipiant, doceant-

doceantque eos ſanctificationem feſtorum (vt ſupra diximus) incipere à media præcedente nocte, ac terminare ad dimidium ſequentis, & intra ſimile ſpatium, in vigilijs de præcepto à cibis vetitis eſſe abſtinendum, doceant. In ientaculo autem cum cibi quantitas nequeat definiri, vnuſquiſque ſuam conſcientiam conſulat, & tantùm cibi capiat, quantùm neceſſitati naturæ ſufficiat, non quantùm ſuppetat voluptati. Illud autem præcipuè fidelium auribus inculcent, vt non tàm ab eſcis, quàm à peccatis abſtineant: quid enim proderit, ſi ciborum abſtinentia maceretur corpus; anima verò grauetur peccatis?

XIII. Tempore Quadrageſimę non liceat macellum aperire, aut carnes venales publicè exponere; vt illud pœnitentiæ tempus, à bacchanaliorum luxu, etiam per exteriorem moderantiam diſtinguatur: ea verò, quæ opus ſunt ægrotis, in occulto tantùm vendere valeant. Nullus præterea vetitis in Quadrageſima cibis, quocumque pretextu veſci audeat, niſi in Ciuitate ei fides à Medico Phyſico cum iuramento ex rationabili cauſa conceſſa, & à Nobis, aut Vicario noſtro priùs fuerit ſubſcripta. In Diœceſi autem, ubi Medici non ſunt, qui dictam fidem facere poſſint, Parochorum prudentia, & conſcientia ſuppleat. Caupones quoque quidquam carnium, aut quod à carnibus proueniat, hoſpitibus apponere prohibemus, niſi à ſuis Superioribus licentiam habeant, Medici atteſtatione roboratam.

XIV. Cùm deniquè in quibuſdam locis Diœceſis noſtræ talis inoleuerit abuſus, ut dies feſti ad agendas Deo gratias inſtituti, tanquàm profeſti tranſigantur: Parochi gregem ſibi commiſſum hortari non deſinant, vt, ſepoſita ſæcularium negotiorum cura aſſiduas ad Deum preces effundat, & Religioſis operibus ſe totum dedat; Populoque ſignificent, Nos attentè acturos apud Magiſtratus ſęculares, vt ſuum Nobis impendant auxilium, & auctoritatem pro dierum feſtorum

obſeruatione, & irreligioſorum acri correctione, quod ipſum à Nobis factum erit in Ciuitate, & reliqua temporali Ditione Nobis ſubiecta. Curent identidem, ut populo innoteſcat, diem feſtum S.Titiani, Eccleſiæ Cathedralis Titularis, & Ciuitatis, ac Diœceſis Patroni eſſe de præcepto, & ut talem ab omnibus obſeruandum eſſe, non ſolùm in Vrbe, ſed etiàm in Diœceſi iuxtà Conſtitutionem Vrbani VIII. quæ incipit: Vniuerſa per Orbem.

XV. Inſuper præcipimus omnibus Archipresbyteris, Plebanis, Rectoribus, alijſque in hac noſtra Diœceſi curam animarum exercentibus, quòd iuxtà laudabilem conſuetudinem uſq; adhuc obſeruatam, in die S.Titiani, aùt in die Translationis eiuſdem, debeant ad hanc noſtram Cathedralem Eccleſiam accedere, ibiquè Pontificali Miſſæ, ac ſubindè proceſſioni, proùt moris eſt, intereſſe, aliàs contumaces, ex nùnc, proùt ex tùnc, mulctamus pœna vnius Ducati Veneti executiuè ipſis eleuanda, & Fabricæ S.Titiani prædicti applicanda.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Caput X.

I. HVcúſque ea, quæ ad Dei cultum, & eius honorem pertinebant à Nobis pro viribus tractata ſunt; quæque tantæ rei obeſſe poterant, enixè prohibuimus. Nùnc maius ſe Nobis tractandum opus offert; eſt enim de Sacramentis, quibus, & fideles ab infidelibus, & ipſi fideles inter ſe diſcernuntur. Hæc à Deo in veteri Teſtamentò nobis per Ezechielem ſignificata fuerunt illis Verbis: *effundam ſuper vos aquam mundam; & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris* &c. & in Euangelio apud Ioannem:

qui

qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Hæ ſunt illæ aquę, ad quas tàm liberàliter diuina oracula inuitant, dicentia: *Omnes ſitientes venite ad aquas: haurite in gaudio de fontibus Saluatoris*. Hęc ergò Sacramenta, cùm metaphoricè aquę nuncupentur, quis non videat, quanta puritate, ab illis, quos miniſtros, & Diſpenſatores myſteriorum Dei Eccleſia ordinauit, debeant adminiſtrari, & quàm mundo cordè à fidelibus ſuſcipi? memores illius diuini interdicti: *nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos*.

II. Vt igitur hoc ſacrilegum, ac immane crimen euitemus, & ea, qua decet modeſtia, ac reuerentia ad Sacramenta accedamus; in primis cauendum eſt, ne quid pro Sacramentis adminiſtrandis directè, vel indirectè exigere, aùt petere aliquis audeat; ne contra illud Euangelij dictum, Deo, & mamonæ ſtudeat deſeruire: & ſicut oblata accipere non vetamus, ſic aliquid ex pacto exigere prohibemus. Si quis autem hoc facere pręſumeret, ultrà execrandam Simoniæ labem, quam incurreret, à Nobis etiam ob teterrimum illud crimen ſummam in ſe animaduerſionem pro certo expectare deberet.

III. Et quia ſancta ſanctè tractanda ſunt diligenter Parochus, & quiuis alius Sacramentorũ collator, in primis omnes conſcientiæ ſuę latebras exploret, & ſi ſe aliquo crimine, pręſertìm lethali inquinatum inuenerit, Confeſſione, aùt ſaltem Contritione, ſi copia deſit Confeſſoris, ſtudeat priùs illud eluere; & prętereà interiori munditiæ exteriorem nectere non negligat; ea enìm, quę foris patent, perſępè ſunt ſigna eorum, quæ ſunt in animo. Veſtem talarem præcipuè in Eccleſia adhibeant, biretum clericale apud ſe habeant; cottam, ſiuè ſuperpelliceum mundum induant; ac ſtolam coloris, qui tempori, àc officio ſit congruens, ſuper humeros adaptent.

IV. Sacramentorum materiam, & formam diligenter cognoſcant illi, qui miniſtraturi accedunt; & cœremonias, quas Ri-

tualis Romanus edocet, optimè calleant. Cathechiſmum ſemper,& aſſiduo ſtudio volùtent,ex quo præcepta ad munus ſuum pertinentiã haurire poterunt; & ſic fiet, vt nihil in adminiſtratione deficiat, nec aliquid ineptè adhibeatur.

V. Quandò aliquis de Populo, vèl multi animam ſuam Sacramentis reficere voluerint, Miniſter diligenti cura ſuſcipientes inſtruat, quid ſit id, quod præ manibus habeat: quanta ſit ſingulorum Sacramentorum vis, dignitas, & effectus: ſintque Parochi diligentes, & parati, quotieſcumque opus fuerit, ad cibum ſpiritualem miniſtrandum; ne maximo ſuo malo illud verè de ſe dici poſſit: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

VI. Et quia, vbi Cura bipartita eſt, ſæpè contingit, vt adminiſtrandorum Sacramentorum Officium negligatur, & cum plures ſint, ſæpè nullus, qui ſpiritualem medelam tempore præcipuè nocturno infirmis porrigere præſto ſit, inueniatur; vndè & ſcandala, & animarum detrimenta exoriuntur: ideò volumus, vt qui requiſiti de ſpirituali præſidio fuerint (ſiuè ſint hebdomadarij, ſiuè non) ſtatim accùrrant, ac ſpiritualia remedia indigentibus adminiſtrent. Hortamur etiàm cœteros Confeſſarios, qui de conſenſu Parochorum hoc munus ſuis in locis exercere poſſunt, vt tàm ſanctum curandarum animarum opus, vocati tempore nocturno, prompto animo ſuſcipere velint: nihil gratius Deo facturi, & pro nulla alia re maius ab eo præmium conſecuturi.

VII. Circa Sacramentalium cuſtodiam caueant Parochi, vt nullam curam prætermittant; ne ad veneficia, & alia nefaria facinora aliquis impius, ac ſacrilegus homo, illis abuti valeat: ideòque ſanctum Chriſma, Oleum infirmorum, & Cathecumenorum in vaſculis argenteis, vel ſtanneis ſaltèm in Eccleſia, & non domi aſſeruentur, & locus, vbi ea poſita fuerint, claudatur, & clauis à Parochis diligenter cuſtodiatur.

DE

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Caput XI.

I. NAaman militiæ Regis Syriç Princeps, cum ad Iordanem veniſſet, & Eliſæi Prophetæ iuſſu ſepties illis ſe aquis lauiſſet, ità à lepra mundatus eſt, vt eius caro, pueri caro eſſe videretur. Magnum ſanè miraculum, ut tàm hiſpida, ac ſcabroſa cutis aquæ naturalis lotione tàm tenera fieret, ac mollis! ſed ſi quis admirabiles Baptiſmi effectus, cuius ablutio illa in Iordane facta figuram gerebat, animo euoluere velit, potius cum Auguſtino obſtupeſcet, quòd aqua in hoc Sacramento tangat corpus, & animam mundet; & quòd per lauacrum huiuſmodi vetus homo exuatur, & nouus, qui ſecundum Deum creatus eſt, induatur. Quod nihil aliud eſt, quàm lepram peccatorum eluere, & homines puros, innoxios, ac Deo deuotos efficere.

II. De hoc ergò Sacramento cum in præſentiarum à Nobis diſſerendum ſit, ipſa in ianua Nobis ſumma Dei benignitas, ac liberalitas contemplanda, atque admiranda proponitur, qui myſterij tàm ſancti, & tàm neceſſarij nullum in neceſſitate Miniſtrum ſpecialitèr determinare voluit, cùm quilibet de populo, ſiuè vir, ſiuè fœmina fidelis, ſiuè infidelis ad illud conficiendum idoneus Miniſter eſſe poſſit, modò intentionem habeat faciendi, quod Eccleſia Catholica in huiuſmodi adminiſtratione facit. Voluit inſuper, vt aqua, qua nihil poteſt eſſe communius huius Sacramenti eſſet materia, vt ſcilicet, qui tali ſubſidio adiuuari cuperet, Miniſtro, & materia carere non poſſet; ſed ſemper, & vbique præſtò ſint.

III. Si quis neceſſitate vrgente, ſalutari ſit aqua abluendus,

& multi adſint, ſemper digniori huiuſmodi baptizandi munus relinquatur. Quarè præſente Sacerdote Clericus, præſente Clerico laicus, præſente viro mulier abluendi facultatem ſibi non arroget. Si verò vir adeſſet, ac mulier; ille autem baptiſmi formam neſciret, tunc mulier baptizet; quia illa, ratione ſcientiæ ad Sacramentum conferendum neceſſariæ, dignior eſſe cenſetur. Nullus adeò tamen ſit inſipiens, vt talem ordinem ad validitatem Sacramenti neceſſarium eſſe opinetur; nàm etiamſi minus dignus baptiſmum conferret, Sacramentum eſſet omninò validum, nec vllo modo eſſet poſtea repetendum.

IV. Et quia ſæpè contingit, ut mulieres obſtetricis munus exercentes, pueris ab vtero matrum recènter editis, & in vitæ periculo conſtitutis, baptiſmum adminiſtrare debeant, Parochorum erit, in ijs, quæ ad huius Sacramenti adminiſtrationem ſunt cognitu neceſſaria, eas ſumma cum charitate erudire, ſcilicet quæ intentio, quæ forma, & materia ſit adhibendi, & quænam corporis pars abluenda, ſcilicèt caput, in quo omnes tùm interiores, tùm exteriores ſenſus vigent, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat. Doceant insùper verborum formam tùnc eſſe proferendam, cum re ipſa membra abluuntur, ſi non phyſicè, ſaltèm moraliter. Latina autem, an vernacula lingua utantur nihil intereſt, modò eam rectè, ac diſtinctè proferant; Et quia in re tanti momenti, ex qua ſalus animæ dependet cauendum eſt, ne quidquam omninò peccetur; nulla fœmina obſtetricis officium audeat exercere, niſi prius fuerit à Parocho examinata, & approbata: & ſi quandò contingat, eam infantulum aliquem in neceſſitate conſtitutum baptizare, binos adhibeat teſtes, ſi non viros ob puerperæ verecundiam, ſaltèm totidem fœminas, quæ negotium rectè geſtum Parocho valeant ſignificare. Et hæc de Miniſtris in neceſſitate dicta ſint: Modò de ordinario dicamus.

V. Sacerdos, qui iuriſdictionem propriam, aut delegatam obtinet, ſuos ſubditos baptizandi poteſtatem habet. Quarè

Parochus ſummo ſtudio hac aſſidua vigilantia utatur, ne ulla unquam tempore maximo ſuo, & alieno malo accidat, ut aliquis ſinè hoc Sacramento è vita decedat; ideòque ſuos admoneat Parochianos, ut infantes quam primum ad Eccleſiam deferant baptizandos, nec ultrà octo dies ſine grauiſſima cauſa, talem dilationem permittant, ne longa interpoſita morà infantes periclitentur.

VI. Statìm ergò, ac infans ad Eccleſiæ valuas delatus eſt, inquirat Sacerdos, an ab obſtetrice, uel ab alia fuerit perſona baptizatus: quæ materia, quæ forma adhibita, & an eo ipſo tempore, quo puer abluebatur, ſint uerba prolata: & ſi hæc omnia rectè facta eſſe cognouerit, ſine repetitione pergat ad reliquà, quæ ſolent ab Eccleſia in baptiſmo adhiberi; ſin, adhibita diligentia, adhùc de Sacramenti ualiditate dubium remaneat; tùnc infans ſub conditione erit rebaptizandus. Si uerò nullus baptiſmus fuerit illi collatus, ſeruato more, qui in Rituali Romano ab Eccleſia præſcriptus eſt, abſolutè baptizetur.

VII. Patrini, qui ſuſceptores, fidei iuſſores, & Sponſores à rerum diuinarum Scriptoribus uocantur, nullo modo debent admitti; qui Apoſtolorum Symbolum, Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, & præcepta Decalogi minimè nouerint, ut ſuum puerorum docendorum ualeant officium implere. Auguſtinus enim de Suſceptorum Officio loquens ait: Debent eos admonere, ut caſtitatem cuſtodiant, iuſtitiam diligant, caritatem teneant, & antè omnia Symbolum, & Orationem Dominicam eos doceant &c. quare ſi hæc neſciant, quomodò ſponſioni in baptiſmo tàm ſolemniter factæ ſatisfacere poterunt?

VIII. Vnus, ſiuè vir, ſiuè mulier, uel ad ſummum unus, & una baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant iuxtà regulam à S. Tridentina Synodo præſcriptam; ac de impedimento, quod ex ipſa ſuſceptione contrahitur certiores à Parocho fiant. Hoc autem baptizandi, ſuſcipiendi, ac deferendi ad Eccleſiam pueri mu-

bus ſine ulla pompa, aùt ſolemnitate fieri debet, ne abrenun-tiatio Satanæ, quæ infantis nomine fit à Suſceptoribus, ex ipſa pompa fictitia eſſe uideatur. Priuatis in domibus, in quibus Baptiſmus ex neceſſitate collatus eſt, cœremonias fieri uetamus, ſed infantem ad Eccleſiam ad eas ſupplendas deferri iubemus.

IX. A Suſceptorum officio infideles, hæretici, excommunicati repellendi ſunt; & illi pariter, qui peccata ſua non fuerint eo anno confeſſi, ac ſacræ Euchariſtiæ Sacramentum Paſchali tempore non acceperint. Illi quoquè arceantur, qui infames, & publici peccatores eſſe dicuntur: qui decimum annum non attigerint; & qui ſacro Chriſmatis oleo non ſuerint delibuti. Clericos quoquè, ac Religioſos, ſinè noſtra, ac ſuorum Superiorum licentia baptizatum de ſacro fonte ſuſcipere omninò prohibemus.

X. In vnaquaque Eccleſia Curata, & alijs, vbi officium permittitur baptizandi, ſit fons lapideus interiori parte dimidiatus, cuius pars altera aquam benedictam, oleoque commixtam contineat; altera verò aquam ex baptizati capite delabentem excipiat. Sit autèm fons ipſe in conſpicua Eccleſiæ parte collocatus, columnis ſeptus, & peſſulo benè munitus. Cyborium ad inſtar pyramidis erectum, ſecura claui, quæ à Parocho cuſtodiatur, ſemper clauſum remaneat, & intus colore ceruleo ſtellis diſtincto ornetur, & in vertice ipſius S. Io: Baptiſtæ imago exponatur. Cyborium autem ipſum, vnà cum ipſo fonte conopæo ſaltem lineo, niſi dignius parari poſſit operiatur, & propè ſit Sanctum Sanctorum cum ſera, & claui munitum.

XI. Vaſcula, quibus aqua in Baptiſmate infunditur, terrea ne ſint, & ſi quæ ſunt, reijciantur, argenteaque, aùt ex auricalco, vel ſtanno conflata eorum loco ſubrogentur. Olea verò quotannis renouentur, & in vaſis, quæ munda ſemper, ac nitida eſſe debent, veteribus combuſtis, conſeruentur; nullusque Parochorum, aùt ſolemnitèr Baptizantium veteribus vti audeat, cum

ſit

ſit prorsùs illicitum, & contrà ſacrorum Canonum Decreta : Quarè Nos itidem , grauiſſimis ſub pœnis arbitrio noſtro ſta- tuendis, eorum vſum prohibemus.

XII. Parochi librum paratum habeant, in quo Baptizati, Patris, Matris, Patrinorum, & Baptizantium nomina, & cognomina cum diei, menſis, & anni expreſſione, tàm Baptiſmi collati, quàm Natiuitatis Baptizati deſcribant. Si verò Infans fuerit natus ex incerto, damnatoque coitu, tunc Matris, & Patrini, Baptizantiſque nomina ſatis fuerit annotare.

XIII. In baptizando ſemper debet obſeruari tempus, quo frequens ſit ad Eccleſiam concurſus, vt fideles ex collationis huiuſmodi occaſione in memoriam redeant illius temporis, cum ipſi quoque tàm diuino beneficio digni redditi fuerunt : & ſic maximas Deo gratias pro eo, quod in Chriſti fidelium numerum recepti ſunt, humilitèr agant. Non tamen volumus, vt qui debent intereſſe Choro, ſubterfugere ſtudeant, & tunc baptizandi occaſionem conſultò expectent, cum tempus eſt laudes, & horas Deo perſoluendi. Ante Solis ortum, vel pòſt illius Occaſum nulli Baptiſmus ſolemnitèr conferatur; cum non deceat illud Sacramentum, quod æternæ gloriç ſplendorem aperit fidelibus intèr offuſcas noctium tenebras, parùm reuerentèr adminiſtrari. Dùm verò Baptiſma confertur, Iudæi, alijque infideles, ne permittantur aſſiſtere, ſed omninò arceantur.

XIV. Is verò dies, quo ſpiritualiter renaſcimur, & in quo deleta perpetuç mortis ſententia, vitæ æternç nobis patefactus eſt aditus, cum celebris eſſe debeat, adhortandi erunt populi, vt orationibus, eleemoſynis, & alijs pietatis officijs tàm præclaram lucem venerentur; memoreſque obligationis in ipſo vitæ exordio contractæ ad illam adimplendã magiş in dies, etiàm atquè etiàm ſe ſollicitos præbeant.

XV. Adulti, Iudæi, alijque infideles Catholicam fidem parati ſuſcipere nullo modo, etiàmſi in rebus fidei eſſent quàm optimè inſtructi, baptizentur, niſi priùs res ad

Nos

Nos fuerit delata, Vt de eorum ſpiritu, animoque ſcrutari poſſimus, & an ad Sacramentum ſint admittendi diligentius introſpiciamus.

XVI. Caueant obſtetrices, ne ſecundinas, naſcentes infantulos conſequi ſolitas alicui concedant; poteſt enim euenire, vt in illorum manus incidant, qui eas ad ſuperſtitiones, aùt Diabolica veneficia adhibeant. Quarè ad hoc crimen euitandum omninò volumus, vt comburantur. Infantulos autem ſuper altari, vt indè muneribus, aùt largitionibus Patrinorum, redimantur, abſolutè ſiſti prohibemus.

XVII. Forma verborum, quæ debet ſaltèm moraliter proferri, dùm ipſa ablutio peragitur, apud Latinos eſt hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Et hæc quidem dicitur forma abſoluta. Conditionata autem hæc eſt: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris* &c. Prior debet adhiberi, cum infans amplius non fuit baptizatus. Si autem dubium ſit, an infans baptizatus fuerit; vèl an forma, quæ adhibita fuit in Baptiſmo conferendo, fuerit ſufficiens; tùnc adhibenda erit poſterior, nempè conditionata.

XVIII. In domibus priuatis Baptiſmum adminiſtrari vetamus, excepta tamèn neceſſitate, extrà quam tàm in Vrbe, quàm extrà Infantes ad Eccleſias baptiſmales deferantur, & ibi ſolemniter abluantur.

De Sacramento Confirmationis.

Caput XII.

I. A Regeneratione ſpirituali ad Confirmationem veniamus, quam vnum ex ſeptem Sacramentis eſſe Eccleſia Catholica abſoluta certitudine ſemper docuit, & in eos, qui hoc Sacramentum negarent, tamquam hæreticos pœnam anathematis Sacroſancta Trid. Synodus ſtatuendam decreuit. Eſt autem ſumma Dei miſericordia in hoc perpetuò ſuſpicienda, quòd poſtquàm ſub Crucis vexillo ſuos nos milites adſcripſit, etiàm Confirmationis Sacramento ad pugnam roborare voluerit; nec illi ſatis fuit per regenerationem tribuere nobis plenitudinem ad innocentiam, vt ſaluaremur in pace, niſi etiam dediſſet arma, vt vinceremus in agone. De hoc ergò Sacramento nùnc paucis agendum eſt, ne noſtra tenuitas, & veſtra firmitas longa verborum prolixitate defatigetur.

II. In primis ergò ſpectabit ad Parochos, cùm ex noſtro Ædicto Confirmationem per Nos faciendam cognouerint inter Miſſarum ſolemnia Populum admonere, quo die ſacro Chriſmate erit populus inungendus, eumque erudire, quanta ſit vis, & dignitas huius Sacramenti, vt quoàd eius fieri poterit maiori fide, ac deuotione tùm interna, tùm externa, ad illud humiliter accedat.

III. Parochi quòque Parochianos ſuos docebunt hoc Sacramentum ideò Confirmationem vocari, quia confirmet fidem, & gratiam iàm homini per Baptiſmum collatam, & niſi aliquid illius efficientiam impediat, nouæ Virtutis robore firmior, atque adeò perfectior Chriſti miles eſſe incipit. Materiam

pre-

prętereà, ac formam, miniſtrumque, qui Ordinarius, & neceſſarius eſt Epiſcopus, & ex diſpenſatione Summi Pontificis Sacerdos, cęteraque ad hoc Sacramentum pertinentia prò audientium captu explicabunt.

IV. Cognationem ſpiritualem, quæ per Confirmationem ſicuti per Baptiſmum contrahitur, & ea omnia, quæ tàm in hac Synodo mandata, quàm quæ in ſpeciali Ædicto mandanda ſunt, fidelibus antè oculos ponant; & quam ſibi obligationem iniungant Patrini; pueros ſuſceptos in ſana Chriſtianæ vitæ diſciplina inſtituendi, & tanquàm filios educandi, diligenter admoneant.

V. Quia verò Confirmationis Sacramentum ſinè graui ſacrilegio iterari non poteſt; idcircò, vt vnuſquiſque memoriam iam ſuſcepti Sacramenti haberi poſſit, nullus, niſi ſeptimum ætatis ſuæ annum expleuerit, aùt ſaltem inchoauerit, coràm Nobis ad illud ſuſcipiendum comparere audeat. Quòd ſi aliqua de cauſa ad aliquem ſupèr ætate diſpenſandum adducti fuerimus, tùnc Parentes, Procuratores, ac Patrinos monitos eſſe volumus, vt ſuſcepti Sacramenti memoriam puero inculcare non deſinant, ne poſtquàm ipſi è vita migrauerint, ille, vel inſcitia; vel obliuione ſe denuò confirmari procuret.

VI. In primis autèm præcipimus, vt puellas fœminæ, pueros viri, ſingulos ſinguli aùt binos ad ſummum ſuſcipiant, & Confirmandi humerum manu tangant. Puerum verò, quem de ſacro fonte ſuſceperint ad Confirmationem præſentare non audeant: ſimilitèr nec maritus vxorem, nec vxor maritum, nec frater fratrem ſuſcipere præſumat.

VII. A Confirmatione, ac ab officio Patrinorum excommunicatos, interdictos, alioué grauiore crimine irretitos, omninò prohibemus; eos itèm, qui fidei rudimenta ignorauerint, aùt ipſam Confirmationem non receperint: Clericos etiam ſæculares, tâm in maioribus, quàm in minoribus conſtitutos ab hoc munere ſuſcipiendo remotos eſſe volumus, niſi ſpecialem licen-

tiam

tiam per Nos concedendam habuerint, quam licentiam à Nobis etiam Regulares vltrà illam ſuorum Superiorum impetrare teneantur.

VIII. Et cum Eccleſia ſit Orationis domus, & quietis; ploratus infantium, ac eiulatus ab ea excludantur, nec res vlla (vt ſunt crepundia) qua ſtrepitus ad clamores ſedandos cieri ſolent, à pueris præ manibus habeatur; ſed quia maiori poteſt reuerentia, ac ſilentio in Eccleſia contineantur; ſintque omninò pro cuiuſque ſtatu, ac conditione benè compoſiti; capilloſq; circa frontem, ne ſacrum Confirmationis miniſterium impediatur, detonſos habeant.

IX. Cùm autem dedeceat Confirmandos illotis ſordibus ad hoc Sacramentum accedere, illud è contrà quantò magis tàm Sancti Sacramenti ſanctitati conſentaneum erit, ſi Fideles, antequàm ad illud ſuſcipiendum accedant, peccatorum ſordes eluere ſtudeant? proinde adulti animarum maculas confeſſione Sacramentali emundent, & ſacræ Euchariſtiæ ſe cibo reficiant; vèl ſaltèm contriti accedant, vt remoto obice dignum Spiritus Sancti habitaculum effici mereantur.

X. Parochi omnes librum paratum habeant, in quo Confirmatorum, Parentum, Patrinorum, & Confirmantis nomina, cognomina, diem menſem, & annum diligentèr deſcribant: pro qua re faciliùs adimplenda Patrini tàm maſculi, quàm fœminæ ſchedam cum ſuo nomine, nec non Confirmati, ac eius Parentum nominibus, ſinguli deferant, eamque Parocho, aùt alij ad hoc Deputato conſignent. Et ſi qui alterius Parochiæ aderunt Confirmandi, hos ipſemet Parochus, in cuius Eccleſia Confirmatio exercetur, ſeorsùm in folio annotabit proprio Parocho, ſi abſens fuerit, poſteà traditurus: ſi verò præſens fuerit, hoc ipſe per ſe fungatur officio.

XI. Declaramus deniquè, quòd ſi Nos alienæ Diœceſis ſubditis Sacramentum hoc miniſtrare contigerit, id tuta conſcientia præſtabimus, tacitam Illuſtriſſimorum ſuorum An-

tiſtitum promiſſionem, niſi aliud in contrarium euenerit, prætendentes,

XII. In functione Conſecrationis Oleorum Sanctorum feria quinta maioris hebdomadæ, à Nobis in Cathedrali noſtra Eccleſia facienda, ſciant Parochi, & Sacerdotes, vt infrà deſcribendi, ſe teneri, & obligatos eſſe iuxtà vetuſtam, & piam conſuetudinem accedere ad Cathedralem prædictam, Paramentis proprijs inſtructos, ſub pœna librarum ſex paruorum, & ſolidorum quatuor, inobedientibus executiuè eleuanda, ac Fabricæ S. Titiani applicanda; nec non librarum duarum eorum obligationem ſupplentibus ſoluenda,

VIDELICET

Coneglani
Sacerdotes duos,
Diaconos duos,
ac Subdiaconos duos,

Serraualli
Sacerdotes duos,
Diaconos duos,
& Subdiaconos duos

Tartij
Sacerdotem vnum

Corbaneſij
Sacerdotem vnum

Laureti
Subdiaconum vnum

Formenicæ
Sacerdotem vnum

Veiani
Sacerdotem unum

Plebis de Colle
Diaconum vnum

S. Martini de Colle
Diaconum vnum

Capellæ
Sacerdotem vnum

Anzani
Sacerdotem vnum

Montanaris
Diaconum vnum

Fregonæ
Sacerdotem vnum

Vſici
Subdiaconum unum

Rouinarum
Sacerdotem vnum

Lacus
Subdiaconum unum;

DE

De Sacramento Pœnitentiæ.

Caput XIII.

I. IEſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt benedictus in ſæcula, decem leproſos ab infirmitate ſanari cupientes, miſericordia motus, miſit ad Sacerdotes, vt ab eis mundarentur. Per lepram ſignificari peccata, haud dubium eſt, à peccatorum autem infirmitate mundare ſolius eſt Sacerdotis. Hanc autèm poteſtatem tunc Eccleſiæ ſuæ contulit, cùm in Apoſtolos inſufflauit, ac dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Quod ipſum innuiſſe viſus eſt, cum Lazarum à mortuis excitatum Diſcipulis ſoluendum obtulit. Ad hanc autèm peccatorum ſolutionem impetrandam benigniſſimus, ac clementiſſimus Dominus Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, quod adeò eſt ijs neceſſarium, qui poſt Baptiſmum in mortalia crimina ceciderunt, vt eſt ipſe Baptiſmus nondùm regeneratis. Idcircò per quandam ſimilitudinem ſecunda poſt naufragium deperditæ gratiæ tabula à SS. Patribus vocatur: nec alicui, qui actu peccauerit, ſinè magnis fletibus continget iuſtificari; Dominus enim in Euangelio dicit: niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimilitèr peribitis. De hoc ergò tantæ neceſſitatis Sacramento aliqua ſtatuemus, quæ ad Dei laudem, & noſtræ Diœceſis vtilitatem magis neceſſaria videbuntur, cętera, quæ à S. Theologiæ Profeſſoribus in lucem edita ſunt, Parochorum ſtudio relinquentes.

II. In primis ergò Sacerdos, qui Confeſſiones peccatorum auditurus eſt, habeat Parochiale beneficium, aut præuio exa-

mine noſtram approbationem, & facultatem obtineat; aliàs ſe inualidè abſolutionem impendere, & pœnis arbitrio Noſtro infligendis ſciat ſe ſubiacere. Qui verò Regulares fuerint vltrà approbationem per Nos faciendam, ſuorum etiàm Superiorum permiſſiònem, ac teſtimoniales litteras habere debeant.

III. Nullius Confeſſio (præſertim ſi fœminę fuerint) extrà Eccleſiam audiatur, & nullo modo antè Solis ortum, nec poſt Occaſum, & tantùm in ſedibus ad hoc paratis peccatorum accuſatio audiatur. Excipimus tamèn valetudinis, aùt neceſſitatis cauſam, quæ nullis eſt caſibus ſubiecta. Sedes autèm ad Confeſſiones excipiendas appoſitæ in locis Eccleſiæ patentioribus ſitæ ſint: caſuumque Nobis, ac S. Sedis Apoſtolicę reſeruatorum, Pagina ſit eis affixa intùs à parte Sacerdotis. Crates verò arctis foraminibus ità aptentur, vt auditui, non viſui ſatis ſint, & ſupèr cratibus à parte Pœnitentis Crucifixi imaginem affigendum iubemus.

IV. In Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando, Cotta munda, Stolaque à collo pendente vtatur Sacerdos, qui caput ad maiorem venerationem clericali bireto coopertum habeat. Regulares verò pro ſui Ordinis ſtatu decentiorem cultum, quem in Choro adhibere conſueſcunt, etiàm in Confeſſionibus adhibeant; hique in Eccleſijs Secularium, niſi impetrata à Parocho loci licentia, huic iudicio ſub pœna ſuſpenſionis à Confeſſionibus ipſo facto incurrenda, nullo modo dent operam.

V. Cùm primùm Pœnitens antè hoc tribunal ſe accuſaturus ſiſtit, priuſquàm Confeſſio fuerit inchoata, quærat Confeſſor, an aliquid reſeruatum habeat, quod ipſe nequeat abſoluere: an ſit in proxima peccandi occaſione, & an deſeruerit eā: num conſcientiæ ſuæ latebras accuratè inueſtigare ſtuduerit, & an culpis à ſe commiſſis ex animo doluerit, inpoſterùmque vitare peccata, & vitam potiùs, quàm Deum lædere, perdere malueri. Quibus benè perpenſis tùnc demùm pœnitentem placidis verbis ad ſua crimina detegenda cohortabitur; nihilque

que eſſe propter quod peccata quàmuis enormia Confeſſori patefacere vereatur : quia Deus figmentum noſtrum cognoſcens, homines ad hoc tribunal, ut Iudices, ideò ſtatuere voluerit, ut eàdem, qua peccatores, fragilitate compoſiti, & eis compati ſciant, & pro morbo medelam applicare ex propria infirmitate cognoſcant.

VI. Audita iàm Confeſſione (neque enìm fas eſt ſępè Pœnitentem interrumpere; nàm ex non neceſſarijs interpellationibus memoria confunditur) ſtudeat Sacerdos ob oculos Pœnitentis, ſuorum ponere grauitatem delictorum, circumſtantias, quę ſpeciem mutant, quæ non; & quæ aggrauant: quod ſit mortale, quod ſit veniale peccatum: hæc enim cognitio ad rectè iudicandum neceſſaria eſt, alitèr quomodò medelam aptè applicare valebit, ſi lepram à lepra cognoſcere neſciuerit?

VII. Nullus abſoluatur, qui proximam peccandi occaſionem non reliquerit, vel polliceatur ſe eam ſtatim relicturum: & ſi ſemel promiſit, nec promiſſum ſeruauerit, fides illi inpoſterùm non facilè habeatur, niſi ex vehementi contritione appareat illum ex animo dolere, ex quo moralis certitudo ſit fore, ut cum Dei auxilio ad reſipiſcentiam reducatur.

VIII. Prima Chriſtianæ fidei rudimenta neſcientes, prima vice monitos, ut ea ediſcant, poterit Sacerdos abſolutos dimittere: ſecunda vice eos grauiter increpabit, comminando, niſi ea inpoſterum ſciant, ſe eorum Confeſſionem minimè auditurum: quinimmò, ſi Pœnitenti utile futurum iudicauerit, rem tàm neceſſariam, ut probè memoriæ commendet, imponere poterit.

IX. Adoleſcentium ætas, quæ nam ſit ad confitendum idonea, cum nequeat generatim determinari, & cum illud certum ſit, quod cum quis eſt doli capax, & ad peccandum idoneus, tùnc etiàm tenetur ad præceptum Confeſſionis; Parentes ſumma vigilantia debent Pueros edocere res bonas, & ſedulò attendere, & inuigilare, ne eorum animi adhuc tenelli

ma-

malitijs, quæ ſæpè numero ætatem præuenire ſolent, imbuantur: aſſueſcantque eos à teneris annis ad accipiendam à Confeſſariò, ſi non abſolutionem, qua fortaſſe non egent, ſaltèm benedictionem: ſic enim fiet, vt habitus benè inſtitutus à teneris annis, per totum vitæ curriculum ab eis conſeruetur. Illud autèm magna eſt à Confeſſario cautione, & prudentia faciendum, cum ſcilicet Virgines, ac ſimpliciores interrogabit; nàm perſæpè poteſt euenire, vt dùm peccata ex conſcientiæ latibulis extrahere tentat, malitiam potius malitiæ ſuperaddat, & dùm curat plagis mederi, noua vulnera infigat. Prætereà ſeriò admoneat Parochus ſuos Parochianos, omnes fideles vtriuſque ſexus ſemel in anno ad Confeſſionem, & ſaltèm in Paſchate ad Communionem teneri.

X. Quia verò à Sacerdotibus, diuino hoc munere fungentibus etiàm ſuſpicio auaritiæ abeſſe debet; idcircò nec eleemoſynas petant; nec pecuniarias ſatisfactiones, nec quidquam alicui pio loco offerendum recipiant. Non imponant Miſſas celebrandas ad hoc, vt ipſi eleemoſynas extorqueant, ſe ipſas celebraturos promittentes; ex quo ineſplicabilis auiditas cum ſui officij dedecore appareat: ſic enim non Pœnitentium ſalutem, ſed proprium commodum, lucrumque magno cum ſcandalo quærere videbuntur.

XI. Non Sæculares tantùm, ſed etiam Regulares monemus, vt priuſquàm illorum, quorum non ſunt ordinarij Confeſſores peccata audiant, cauſam mutationis huiuſmodi ab eis requirant, & ſi iuſta ſibi eſſe videatur, tùnc eorum peccata excipiant; ſin, ad ſuos proprios Confeſſores dimittant: perſæpè enim euenit vt legitima de cauſa à proprio Parocho reiecti ad alium nouum, & (quod Deus auertat) inſipientem abſolutionis obtinendæ gratia confugiant, theſaurizantes hoc modo ſibi iram in die iræ, & loco abſolutionis maledictionem æternam in ſemetipſis reportantes.

XII. Omnes Regulares, qui à Nobis facultatem audiendi

Con-

Confeſſiones obtinent, vel obtinebunt, annis ſingulis antè feſtum omnium Sanctorum, ſua nomina in ſingulis Monaſterijs ſcriptis mandata, Superioribus ſuis conſignent, & ab eis ad Nos mittantur, vt quos in vinea Domini laborantes habemus, eoſdem cognoſcere valeamus.

XIII. Sacerdos, qui cum alio ſocio aliquod lethale ſcelus (quod Deus auertat) commiſſum iuerit, ab ipſius ſocij confeſſione audienda, omninò ſe abſtinere procurent; non eſt enim æquum, vt ſit Iudex in delicto ille, qui ipſius particeps, & fortaſſè cauſa fuit.

XIV. Fœneratores, & qui contractus illicitos, ſanguinem pauperum eo modo exhaurientes, exercent, niſi telonij vſum abijciant: meretrices quoquè, niſi meretricandi finem fecerint, vitamque pudicam inpoſterum polliceantur: qui debitas reſtitutiones ſinè cauſa procraſtinant; hi omnes nullo modo à Sacerdotibus abſoluanrur.

XV. Quandò virtute Iubilæi Confeſſarijs abſoluendi à reſeruatis facultas conceſſa eſt, eam ad irregularitatis vinculum, niſi ad hoc Bulla ſpecialitèr extendatur, nullo modo dilatari poſſe intelligatur.

XVI. Morbo aliquo affecti, à Medico, qui illorum curam ſuſcepit, commoneri debent, vt intrà triduum confiteantur, & niſi ægrotus admonitioni à Medico factæ obediens fuerit, nec vltrà viſitari, nec curari poſſit ſub pœnis à Pio V. Pontif. Max. ſupèr hac re conſtitutis: hac enim tàm ſancta, ac neceſſaria proviſione cauit, vt difficultas, ac periculum, quod eſſe poteſt in ægrotis Sacramentum Pœnitentiæ differentibus, ſubmoueretur.

XVII. Confeſſarius ad mulieris parturientis confeſſionem euocatus, vèl alicuius ad mortem vulnerati, vbi multi viri, ac mulieres adſtant auxilium laturi, audiat, etiam ijs præſentibus, ſi alio modo fieri nequeat, confeſſionem moneatque adſtantes teneri ad ſigillum Confeſſionis ſeruandum. Quod ſi vulneratus

tus

tus odio, aùt alia de cauſa ſuá delicta aperire noluerit, Curatus omnibus eum modis diſponere ſtudeat, & ſi blando nequeat, aſpero ſermone procedat, æternam mortem, & infernales cruciatus, ſi impœnitens deceſſerit præ oculis ponendo; Si verò in mortis articulo ſit conſtitutus, nec vocem elijcere poſſit, saltèm aliqua doloris ſigna ab eo elijciantur, vt abſolutionem Sacerdos dare queat. At ſi inchoata confeſſione, è vita decederet, eum tamèn debet Sacerdos abſoluere, quoniam ſatis eum diſpoſitum, & materiam pro absolutione sufficientem haberet.

XVIII. In satisfactione imponenda pro morbi, ac infirmi qualitate ſe gerat Sacerdos, ne ſe indiſcretum oſtendat; ieiunia enim quotidiè laborantibus eleemoſynas ægentibus, & id genus cætera pœnitentibus imponere, erit quid exorbitans, Ob hoc abſurdum euitandum Confeſſarijs Pęnitentialium ſtatuta aſſiduè manibus verſare perutile erit. Sicuti verò pęnitentibus pro leuibus grauiora culpabile eſt; ità pro atrocibus leuiora delictis onera imponere, culpa non vacat. Quarè ſic cum pœnitente ſe gerat Sacerdos, ne, ſeueritatis cauſa ad deſperationem impellere, vèl pro nimia facilitate, peccandi licentiam præbere videatur.

XIX. Sicùt Parochos in Sacramentis adminiſtrandis, animabuſque fidelium curandi promptos eſſe deſideramus, ne querelarum occaſio de eorum incuria ad noſtras aures deferatur; ità dùm altare ſacram Euchariſtiam adminiſtrant, reconciliationes audire prohibemus.

XX. Si caſus reſeruatos à Pęnitente Sacerdos audiuerit, abſoluendi facultatem â Superiore obtineat, aùt ipſum Pęnitentem ad eum pro absolutione remittat: qui ſi non fuerit ab omnibus sacramentalitèr abſolutus, ſed à reſeruatis tantùm, Confeſſarius poſteà omnia audiat, etiam reſeruata, & ab omnibus ſacramentalitèr abſoluat.

XXI. Si quandò caſus difficiles in Confeſſione audire contigerit, Confeſſarius Pęnitentem mittat conſultum peritiores, vel

vel (quod melius erit) ipſum pęnitentem tùnc dimittat ad diem alterum, & interìm ipſe hac de re homines, quos nouerit moralis Philoſophiæ peritiſſimos, ſaniorem ſententiam expoſcat, vèl à probatis auctoribus diligentèr ìnquirat.

XXII. Confeſſiones etiàm virorum in domibus Presbyterorum, aùt aliorum audiri vetamus, caſibus ægritudinis exceptis, & niſi aliqua rationabilis cauſa ad id melius ſuadeat.

XXIII. Parochi ſuos Parochianos non ſolùm extra Parochiam, ſed etiàm extrà Diœceſim confiteri poſſunt, ſed abſque Parochi loci conſenſu hoc agere non debent. Omnes verò habentes iuriſdictionem delegatam à Nobis, confeſſiones quorumcumque vltrà locum habitæ facultatis audire non præſumant, etiàm de conſenſu Parochi loci.

XXIV. Caſus Nobis reſeruati, & à quibus vtpotè maiori animaduerſione dignis Confeſſores ſub pœna excommunicationis abſoluere vetamus; excepto tamèn mortis articulo, ſunt hi, qui ſequuntur.

Caſus Reſeruati Ciuitatis, & Diœceſis Cenetenſis.

I. BLaſphemia hæreticalis in quocumque caſu, & quæcumque alia Blaſphemia; dummodò fuerit prolata ſaltèm per tres vices poſt vltimam Confeſſionem aliquo audiente.

II. Occultatio piorum Legatorum quoàd Notarios, ſi fuerit doloſa, & non fuerit facta reuelatio Eccleſiæ intrà duos menſes à die Mortis Teſtatoris. Itèm occultatio doloſa ſcripturarum ſpectantium ad Eccleſiam, ſeù Beneficia Eccleſiaſtica.

III. Copula carnalis cum propria, & ordinaria Pęnitente.

IV. Magia, Diuinatio, aùt Sortilegium, & quæcumque alia ſuperſtitio cum abuſu Sacramentorum, vèl Sacramentalium, vèl Orationum, multòque magis cum Dœmonis inuocatione.

V. Periurium Iudiciale.

VI. Beſtialitas, & copula contra Naturam, etiàm cum fœminis, ſi actus fuerit conſumatus, quòad mares tantùm.

VII. Parricidium, & Parentum licèt leuis verberatio.

VIII. Inceſtus in primo, & ſecundo conſanguinitatis, vèl affinitatis gradu, & copula cum Cognata cognatione legali, vel ſpirituali, quoàd mares tantum.

IX. Homicidium voluntarium, & abortus fœtus animati, mandatum, conſilium, ſeù auxilium efficax ad illud, ſi ſequatur effectus.

X. Copula inter ſponſos antè contractum Matrimonium per verba de præſenti; quòad mares tantùm.

XI. Signantes, & patientes ſe ſignari ob maleficia abſque expreſſa noſtra licentia.

XII. Cedularum, ſeù libellorum publica expoſitio, in quibus fama detrahitur, etiam quòad complices, & ſcientes, niſi iuridicè reuelauerint Iuſtitiæ intrà ſex menſes; cum declaratione, quod in facultate generali abſoluendi à reſeruatis etiàm quòad Vicarios Foraneos, huius caſus abſolutio, & inceſtus in primo gradu non intelligatur conceſſa.

Confeſſarius, qui abſquè facultate à caſibus reſeruatis abſoluerit, præterquàmquod abſolutio ipſa erit nulla, Cenſuris aliàs indictis ſubiacebit.

DE

De Euchariſtiæ Sacramento.

Caput XIV.

I. A Pœnitentiæ Sacramento gemitibus, lacrymiſque pleno ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum omnibus diuinis chariſmatibus exuberans, tranſeamus. Eſt autem hoc Sacramentum cœterorum omnium præſtantiſſimum, quod ſub ſe continet fontem omnium bonorum, & in quo ſunt repoſiti omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: ad quod qui accedit cum puro corde, & conſcientia integra, ſic Chriſto vnitur, & ità commiſcetur, vt ipſe ſit in Deo, & Deus in ipſo. Ex quo Auguſtinus admiratus exclamat: *O Sacramentum pietatis! ò ſignum vnitatis! ò vinculum charitatis!* Contrà verò impurè ſumentibus, ſic comminatur Apoſtolus: *qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit* &c. & Auguſtinus: quàm multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur: vndè quod àd vitam fuit inſtitutum, ſua ipſorum culpa conuertitur ad interitum.

II. Erunt ergò Parochi partes, cum hoc Sacramentum debet adminiſtrari, & præcipuè diebus ſolemnibus oues ſuas erudire, vt ardentiſſimo mentis feruore, & conſcientia pura ad hoc Sacramentum accedant, verum corpus, & ſanguinem Domini, qui ſub panis, & vini ſpeciebus continentur, manducaturæ. Et exteriori cultu, qui ſit vniuſcuiuſque perſonæ ſtatui accomodatus, non illo ſquallido, quo vtuntur in quolibet ſordido artificio, compoſiti accedant, vt ab exteriori munditia puritas interior dijiudicetur.

III. Supèr Altari, quod eſt maius, & in nobiliori Eccleſiæ

Parochialis parte extructum, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruetur in Pyxide aurea, vel argentea, quæ tamèn ſit intùs inaurata, & velo ſerico ad inſtar conopæi coloris albi tegatur. Tabernaculum autèm ſit ſuper eodem altari quàm magnificè extructum, inauratumque, in quo Pyxis hoſtias conſecratas continens reponatur. In eodem etiam Oſtenſorium cum Sacramento, poſtquàm expoſitum fuerit, cuſtodiri debeat, vſquè dum ab aliquo celebrante fuerit conſumatum. Inſupèr claui argentea, vel ſaltèm aurata benè muniatur, clauiſque ipſa in ſacrario in loco tuto debeat à Parocho, & non ab alijs cuſtodiri. Habeat deniquè ſua Conopæa omnium colorum, quibus pro temporum opportunitate tegatur, & deuotiſſimè colatur.

IV. Duæ autèm Pyxides in vnaquaque Eccleſia habeantur; altera, quę ſempèr in loculo Tabernaculi maneat; altera, quę pro infirmis ſeruetur in ſacrario, & vtriusque crater ſit argenteus, & intus auro delibutus. Amygdalæ, ſeu vaſculi argentei vſus, quod ſit intùs deauratum pro deferendo Sacramento ad infirmos, præſertìm ſi per loca aſpera, & diſtantia eundum ſit à Nobis non improbatur.

V. Parochus, cui clauium cura eſſe debet pro claudendo, & reſerando Tabernaculo ſingulis decem diebus Sacramentum renouare non negligat. Nunquàm verò Sanctiſſimum è Tabernaculo èxtrahat, aùt extrahi permittat, niſi aùt Communionis, aùt Proceſſionis, aùt expoſitionis cauſa; non autèm pro tempeſtatibus arcendis, Energumenis exorcizandis, aùt alijs quibuscumque cauſis exequendis.

VI. Clerici omnes ſingulis menſibus ſacram Communionem percipiant: ſacris initiati bis ſaltem. Omnes autèm tàm Eccleſiaſtici, quàm Sæculares à Dominica Palmarum vſquè ad Octauam Paſchatis incluſiuè, ex Eccleſiæ præcepto, præmiſſa confeſſione, ſacram Communionem in ſua Parochiali recipiant. Si quis autèm iuſto detineatur impedimento, quominus

nus id exequi poſſit, ei differatur à proprio Parocho talis obligationis ſatisfactio ad primum tempus, quod Parochus ipſe opportunum iudicauerit. At ſi quis à Nobis, vèl à Parocho alibi etiàm extrà Diœceſim huius adimplendi præcepti licentiam obtinuerit, hanc manuſcriptam fidem ab eo, qui Sacramenta illi adminiſtrauerit de obligatione adimpleta Parocho ſuo volumus præſentare. Contumaces, & Eccleſiæ pręceptum exequi non curantes Parochi ad Nos deferre non omittant; vt ſupèr his prouidere, & in eos pro Eccleſiæ dignitate animaduertere valeamus.

VII. Fœminæ, à quibus præuaricatio, & generis humani ruina inchoata, non accedant nimis comptæ, non laſciuo cultu, non capite detecto, ſed ad humilitatis ſignum oſtendendum velamine ſe tegant: quantò enim ſe magis celant, tantò ſplendidiores Deo patent: & quantùm ornamentorum detrahunt corpori, tantùm pulcritudinis addunt animæ. Viri, cum ad ſacram Communionem accedunt, quæuis arma antè deponant, & ſi quem Parochus huius noſtri mandati contemptorem inuenerit, eum ad arma deponenda recedere iubeat, alitèr ad communionem non admittat: & vbi locus Communionis capax fuerit, mares à fœminis ſeiungi deſideramus.

VIII. Parochi omnes ſuos ſubditos ad hunc cęleſtem cibum ſuſcipiendum hortari non deſinant, ac ardore deuotionis accendant, vt pietatis ſtudio, non legis neceſſitate adducti; hoc Sacramentum frequentare conſueſcant: cùm enim eſca ſit animarum, quomodò in ſe vitam habere poterunt, ſi raro, & semèl in anno tantùm ea refici contigerit? Si corpus cibo diebus ſingulis opus eſt enutriri, nonnè anima plus eſt quàm corpus? ne ergò, anima neglecta, soli corpori incumbere videantur, ſaltèm feſtis solemnibus hoc ſpirituali cibo eam recreare non prætermittant.

IX. Pueri, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, in quibus obligatio incipit communicandi, non priùs admittantur

quàm

quàm à Parocho ipſorum fuerint approbati; vt intelligant tanti myſterij maieſtatem: quid ſub illis ſpeciebus contineatur: qua deuotione, ac præparatione ad illud ſumendum accedere opus ſit. Ideòque animarum Curatores dignitatem, vim, suauitatem, & fructus vberrimos huius Sacramenti ſæpè ſæpius Populis ſibi commiſſis declarare non omittant.

X. Paſchali tempore alienis ſubditis, ſinè ſuorum Parochorum licentia, nullus hoc Sacramentum adminiſtret. Qui verò ratione domicilij duabus Parochijs ſubditus eſt, ab altero earum ſacram Communionem accipere poterit; qui tamen aliqua ſigni oſtenſione alterum hac de re certiorem facere debeat. In ipſa autèm Sacramenti diſtributione ad eleemosynas colligendas, nihil exponi volumus præter linteamina ſupèr ſcamnis extenſa, vinumque album, non rubrum, aùt nigrum pro purificatione præbeatur.

XI. Cùm hoc Sacramentum ad infirmos deferendum eſt; moneat Parochus eos, qui ægroto aſſiſtunt, vt domum omni immunditia euacuent, profanas imagines, ſi quæ sunt, ex infirmi cubiculo extrahant; menſam linteamine mundo ſternant, ſupèr quam inter duos ſaltèm cereos accenſos Crucifixi imago ponatur; & cunctam familiam Sacramento obuiàm ire, ac prçire cùm luminibus præcipiat.

XII. Confratribus, qui ſunt de Scola Sanctiſſimi Sacramenti Indulgentiæ à Summis Pontificibus conceſſæ à Parochis ſæpè publicentur; vt dùm ad infirmos defertur, illi alacriores, & feruentiores ſubſequantur. Sicubi autèm Confraternitas non eſt, eam erigendam ſtudeant Parochi, qui niſi aliquo detineantur impedimento, ipſi per ſe deferant ſacram Euchariſtiam. Si verò hoc munus alteri aſſignari contigerit, nulli, niſi ius audiendi Confeſſiones habenti, neceſſitate excepta, demandetur. Semper verò adſint plura luminaria, baldachinum, ſeù vmbrella albi coloris, & cætera ad id pertinētia. Noctu, niſi extrema laborantis neceſſitas vrgeat, nunquàm adminiſtretur.

XIII. A Presbytero, qui ſacram Euchariſtiam Ægrotanti deferre debet, Cotta cum Stola induatur, & in Ciuitate, & in Oppidis etiam Pluuiale ſuperinduatur. Duas hoſtias conſecratas ſecùm ferat in pixide, alteram infirmo præbendam, alteram, quæ remaneat in ea, ad Eccleſiam cum veneratione luminibus, & cœteris, vt ſupra, reportandam. Si verò ſit longum iter, & aſperum, vnam tantùm ſecum afferat, qua ægroto adminiſtrata, ac diſſoluta, & dimiſſa omni pompa, Sacerdos priuatus diſcedat.

XIV. Oſtenſorium in omnibus Eccleſijs Curatis habeatur, quod ſit argenteum, alioue metallo, ſed inaurato, conflatum moderniore forma, cum vitro perlucido, ex quo ſacratiſſimam hoſtiam, lunula omninò argentea inaurata ſuſtentatam, Fideles perſpicere valeant.

XV. Antè Tabernaculum lampas perenniter ardens, & ſi prouentus Eccleſiæ ſuppetant, etiam plures numero impari habeantur: & hæ à pauimento tantùm promineant, vt ſubambulantes in eas capitis vertice offendere nequeant.

XVI. Nullus quantùmuis flagitioſus, modò ſe criminum pœnituerit, ab hac menſa arceatur: quòd ſi fuerit publicus peccator, Concubinarius, blaſphemus, fœnerator, odia, inimicitiaſquè ſuſtinens, quàmuis ad bonam frugem conuerſus ſit, non ſtatim tamèn, ſed aliquo interpoſito tempore (quod prudentis Parochi arbitrio relinquimus) vt interim mutatę vitæ ſpecimen, & teſtimonium præbeat, & ſcandali deleatur occaſio, ad Communionem admittatur.

XVII. Inſtante Corporis Chriſti ſolemnitate, Populum ſibi commiſſum ad Indulgentias recipiendas, quæ Apoſtolica auctoritate ipſam feſtiuitatem deuotè celebrantibus, Horiſque Canonicis aſſiſtentibus, conceſſæ ſunt, Sacerdos adhortetur. Cum aùtem publicè ſit proceſſio, nulli ex feneſtris eam proſpicere fas ſit: indignum eſt enim, vt dùm Redemptor noſter, & omnium Dominus adorandus effertur, ſeruus iaceat

otio,

otioſus , & ſpectator in domo. Hac ergo de re gregem ſuum Parochus commonefacere non ceſſet.

XVIII. Altaria, quæ hac occaſione per vicos extrui ſolent, non niſi ſacris imaginibus, ac tabulis ipſam ſacram hiſtoriam demonſtrantibus, erigantur, & quodcumque profanum, ludricum, & quod ſanctitatem non redoleat, pœnitùs exterminetur.

XIX. Si qua peculiaris perſona Tabernaculum intùs videre deſideret, & ipſum Sacramentum venerari, nullo modo ex Tabernaculo extrahatur; ſed antè ipſius Tabernaculi oſtiolum genibus flexis ſiſti permittimus; luminibus tamèn, cæteriſque ad debitam venerationem adhibitis.

XX. Illud caueant Parochi inter communicandum, ne ab aliquo, poſtquam ſacram Communionem acceperit, manus ori admoueatur. Perutile autèm erit, ſi vltrà Pyxidem, quam manu ſiniſtra tenet, etiàm patenam eadem manu intermedium, & indicem ad fragmenta colligenda, quæ ſæpè etiam inſenſibilitèr decidunt, retineat: ad quod etiam atque etiam in Domino hortamur.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

Caput XV.

I. HActenùs de Euchariſtia, quatenùs Sacramentum eſt, egimus: nùnc de ea, quatènus Sacrificium, aliqua exponamus. Sacrificium ſanè à Sacramento differre certum eſt: nàm Sacramentum in conſecratione conſiſtit: ſacrificium oblatione conficitur: Sacramentum ad cultores Chriſti ſanctificandos; ſacrificium ad Deum honorandum inſtitutum eſt: & cum in omni lege ſemper fuerit ſacri-

cri-

crificium, & Sacerdotium, Chriſtus Dominus in lege Euangelica ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe Sacerdotem declarauit, & Deo Patri ſub ſpeciebus panis, & vini in extrema Cęna corpus ſuum, & ſanguinem obtulit incruentè, mox ſe ipſum in ara Crucis cruentè oblaturus. Hoc igitùr Sacrificium tanquàm memoriale perennè Eccleſiæ ſuæ reliquit, Apoſtoloſque, & eorum Succeſſores, quos nouæ legis Sacerdotes inſtituit, ſui memoriam in eo colere præcepit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*.

II. Hoc idem Sacrificium in Miſſa quotidiè per Sacerdotes in Eccleſia inſtauratur, quod ſemèl pro ſalute noſtra obtulit Chriſtus Dominus; nequè enim alius nùnc eſt offerens, nec alia eſt hoſtia cruenta, & incruenta, ſed idem Sacerdos, & idem offerens per manum Miniſtrorum, qui non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt. Conſidrent ergò Sacerdotes quantam in ſe ipſis dignitatem habeant, & quo honore digni facti ſint, humillimaſque pro tàm diuino munere Deo gratias agant, ſtudeantq; vitam, moreſque ad gradum componere; ne maximo ſuo malo eueniat, vt, quòd ad ſuam, & aliorum ſalutem acceperunt, in ruinam, & perniciem conuertatur æternam; ſicuti Iudæ proditori euènit, qui nihil aliùd ab Apoſtolatus munere, quàm perpetuam damnationem, conſecutus eſt.

III. Externum Sacerdotis cultum interno mentis candori cùm deceat conuenire, nitidas, mundaſque veſtes habere curet, ſordes, maculaſque abluat: ſciſſuras ſarciat: puluerem, ac lutum excutiat: manus lauet: vngues purget, ac ſecet: &, quod pluris eſt, calcaria, & ocreas, non autem collare, celebraturus deponat; ne Sacerdos ad Altare perueniens, Sacrum citatis equis facere velle videatur.

IV. In cuiuſque Eccleſiæ Sacriſtia genuflexorium ponatur cum Crucifixi imagine, & pagina Orationum ad præparationem Sacrificij, vbi Sacerdos, facta Sacramentali Confeſſione, ad quam omnes Sacerdotes, ſaltèm ſingulis hebdomadis, fa-

ciendam hortamur, & orationibus ad præparationem, alijſque ad mentis eleuationem attinentibus, quæ in tabula leguntur, paululùm in myſterij, quod celebraturi ſunt, contemplatione perſiſtant, ſeque ad rem omnium præſtantiſſimam, quàm decènter fieri poteſt, peragendam diſponant.

V. Videat etiàm Sacerdos, ne celebret in Eccleſia polluta, neuè ipſe, aut locus, aut populi cenſura aliqua teneantur: ītèm ne Eccleſia, vel Altare noſtra egeat permiſſione, & an ad Aram ipſam Nos eadem die ſacrum fecerimus; tunc enim nullum alium eodem die poſſe ad illam celebrare abſque noſtra licentia, ſcire dignum eſt.

VI. Antè claram diem nullus Sacerdos ad celebrandum accedere præſumat; nulluſque audeat ad hanc ſacram menſam, niſi naturalitèr ieiunus venire; alitèr tranſgreſſores, graues arbitrio noſtro ſe pœnas daturos ſciant, cum illum ſolummodò, qui à media nocte præcedenti nihil prorſus, ne medicinæ quidem cauſa, guſtauerit, ieiunum cenſeri poſſe, lex naturalis ieiunij decernat.

VII. Cum Calice, ſeù Patena non conſecrata, aût cum veſtibus non benedictis, ſacrificium celebrare, aùt ad Altare miniſtrare abſque graui peccato non licet. Calices, Patenæ, corporalia, tintinnabula, omnia vaſa ſacra, Cruces, Imagines ſacræ, indumenta omnia Eccleſiaſtica à ſolo Epiſcopo conſecrari, & benedici poſſe reſpectiuè, nec alijs ſine Apoſtolica auctoritate; non enim Epiſcopus poteſt talem facultatem alteri delegare, nec Regulares poſſe benedicere, niſi ea, quæ ſuis tantùm Eccleſijs ſeruire debent, & non alienis, animaduertere operæ pretium eſt.

VIII. Calices, Veſteſque ſacræ tales ſint, quæ deuotionem, & venerationem munditia, & elegantia excitent. Colorum ab Eccleſia inſtitutorum ratio ſeruetur. Hæc aùtem omnia, ab illis, quibus huiuſmodi cura demandata eſt, diligenter peragantur; ne Miniſter Altaris actionem ſuam, veſtimentorum indecen-

cen-

tentiæ; & colorum improprietate, dehoneſtet.

IX. Clerici Sacris ſeruientes hinc indè faciem erectam ne habeant, vagantesque oculos circumſpiciendo ne teneant, ſed humiles, ac demiſſi, ſuoque muneri attendentes omnia pro loco, ac tempore ſigillàtim compleant: Cancellos, ſi qui ſunt; claudant, nec vllum intùs admittant: ſin deſunt, omnes ab Altaris gradu, præſertim fœminas arceant. Candelæ non extinguantur, niſi S. Ioannis Euangelio finito, nec Miſſale auferat Clericus ab Altari, aliaque colligat, quæ ad vſum Sacrificij parauerat, niſi eodem Euangelio completo; nimia enim hac in re celeritas potiùs contemptum, quàm ſedulitatem ſubolet: & cum ab vno ad aliud Altaris cornu pertranſeunt, ſemper demiſſo genu ad medium Altaris, Crucem venerentur.

X. Celebrans nimiam celeritatem, & moleſtam euitet pigritiam: vocem altiorem ne edat, quæ grauitatem Magiſterij offendit, & audientium perſtringit aures. Submiſſa autem voce legere, vel potiùs mutire in nonnullis ſuperbiam, in aliјs verò ignorantiam deſignat. Clara ergò voce, & diſtincta ſic proferat, vt intelligi ab omnibus, à nullis queat culpari.

XI. Primam Miſſam celebraturus fidem habeat à Magiſtro Cœremoniarum, vèl à ſuo Parocho de ſua aptitudine, & à Nobis celebrandi licentiam in ſcriptis.

XII. Secunda ab ortu Solis hora, in qua frequentior Populus eſſe conſueuit, Parochi Miſſam celebrent, & vt ſui officij debitum perſoluant, Feſta, quæ in ſequenti hebdomada fuerint, ieiunia, ac matrimonia enuncient, verbique Dei prædicationem, præsèrtim diebus Dominicis, non omittant. Hoc aùtem horæ tempus nulla de cauſa peruertant, ſed Campanarum ſonitu, tertia vice, vnius horæ ſpatio repetito, Populus ad Eccleſiam inuitetur. Vbi vero, præter Parochum, fuerit alius Sacerdos, diebus ferialibus ſummo manè ei ſacrum facere licebit, quod in diebus feſtiuis minimè permittimus, ne populus à Parochiali Miſſa retrahatur; ideòque nemo diebus feſtis de præce-

pto, vel in Eccleſia Parochiali, vel in quacumque alia, aùt in Oratorijs priuatis, antè Parochialem præſumat abſque noſtra, ſeu Parochi expreſſa licentia, quæ conceſſa non intelligatur, niſi Campanarum ſonitus omninò omittatur; Contrafacientes verò Nobis à Parochis deferantur, qui ſi admoniti prorsùs non abſtinuerint, pœnam ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrendam in ipſos Sacerdotes contrafacientes, decernimus; prout ſub eiſdem pœnis, ne vllo modo antè Altare ſe vertere, pacemuè oſculandam porrigere audeat: hoc enim Parochi ius eſt.

XIII. In Eccleſijs, in quibus duæ tantùm Miſſæ celebrantur, à celebratione vnius ad alteram diebus feſtis tantùm ſpatij interponatur, vt ad domus cuſtodiam relicti, poſtquàm ij, qui abierunt, reuerſi fuerint commodè ad eam audiendam valeant proficiſci.

XIV. Beneficiorum, ac inſtitutorum ſtatuta, in quibus dies, hora, locuſque decreta ſunt, nulla in re alterentur, ſed is, qui ea obtinet, omnia adamuſſim obſeruet, nec ad propriam commoditatem celebrationis horam, aùt diem mutare, aùt aliquid aliud accipere valeat, & qui in hoc deliquerit, preterquàm quod grauitèr peccat, arbitrio Noſtro mulctabitur. Ijs aùtem, qui quotidiana obligatione detinentur, ſingulis hebdomadis vnius diei vocationem, ſi tamen à celebratione deſiſtere velint, vniuerſalis conſuetudo diſponit.

XV. Quandò plures ſunt Sacerdotes alicuius Eccleſiæ ſeruitio emancipati, maximè in Cathedrali, quiſque horam obſeruet, quæ ab Eminentiſs. Cardinali Turriano ad celebrandum ſtatuta fuit: vt eſt videre in tabellis impreſſis, & in Sacriſtia expoſitis: quæ Decreta in omnibus ſuis partibus confirmamus, approbamus, tàm quoàd Sacriſtas, & Altariſtas, quàm quoàd Miſſas priuatas, & Conuentuales quotidiè; præcipiendo ſub Cenſuris, & pœnis in eis contentis, vt de cætero inuiolabiliter obſeruentur. In Collegiatis aùtem, ea, quæ circa Miſ-

ſarum celebrationem, tàm in cuiuſque inſtitutione, quàm in Viſitatione, aùt alio quouis modo fuerunt conſtituta, Decreta, & promulgata; omnia ſub pœnis, quæ in ipſis appoſita ſunt, pariter confirmamus.

XVI. Nec antè Auroram, nec poſt meridiem, ſed nequè Concionis tempore, vllus ſacrificare audeat. Sacrum verò, antequàm cerei ſint accenſi, non incipiatur. Nemo, Nobis ſacra operantibus, exeat à Sacriſtia in eadem Eccleſia celebraturus. Si plures eodem tempore Sacerdotes velint Sacrificium peragere, ad ſemota Altaria, ne alter alteri ſit impedimento, ſe recipiant. Omnes autem Rubricas, quæ in Miſſali continentur, & quæ ad tàm graue munus exequendum neceſſariæ ſunt, perfectè calleant, ne in re tàm ſeria, Sanctæ Tridentinę Synodo contrauenientes, animam ſuam peccatorum labe contaminent.

XVII. Omnes, tàm serui, quàm filij, lege audiendi Miſſam obligantur; nec Dominorum, aut Patrum mandata eis proſunt, quominùs omiſſione peccent. Et omnes Patres familias, qui ad paſcua, aùt alia negotia filios, aùt ſeruos mittunt, & hac de cauſa Sacrum non audiunt, eorum tranſgreſſione in ſuam perniciem, & animæ ruinam conuertere, & pro eis ſe pœnas daturos ſciant; ideòque Parochis ſtrictè præcipimus, eos ſæpè ſæpius de tali eorum debito monere.

XVIII. Sacerdotem, ad Altare ſacra facientem, vel ſtatìm facturum, nemo auſu temerario detinere, vel interpellare præſumat. Ipſe aùtem Sacerdos, antequàm Miſſam incipiat, illud obſeruandum aduertat, an Populi adſtantes parati ſint animo ad deuotè audiendum; & cum ſilentium factum audiuerit, tunc ſuum munus poterit inchoare. Nemo verò haſtas, ſclopos, aut alia quæcumque arma intrà Eccleſiam ferat; nemo in Eccleſiæ veſtibulo, aùt apud Altaria, aùt Baptiſterium conſiſtat, aùt ad aquæ benedictæ pilas adhæreat.

XIX. Et quoniam inter Chriſtianos plures inueniuntur, qui

tan-

tanquàm in foro eſſent, aut profanis ſpectaculis adeſſent, nullo habito reſpectu, huic cœleſti myſterio circumſtant; is fuerit vtile, ſi Chriſtum Dominum flagellum de funiculis feciſſe meminerint, vt Templi profanatores expelleret; & indè perſpicere poterunt, quàm ſit illud ſcelus apud Deum deteſtabile, quo corrupti mores, obſcæni ſermones, actus turpiores, & laſciui aſpectus domum Dei contaminant; & in ſpeluncam latronum conuertunt. Diabolo profectò operante hoc euenit, vt quot vicibus illi Templum manufactum contaminant, totidem iaculis eorum animas, quæ Templum ſunt Spiritus Sancti, Diabolus perfodiat: & tantùm abeſt, vt tales Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant, vt maioribus etiàm culpis obſtringantur, qui tanta temeritate Eccleſiam Dei ingrediuntur, & latronum ſpeluncam ſuis criminibus reddunt.

XX. Sacerdotes, quibus animarum Cura demandata non eſt, ſaltèm Dominicis diebus, ac feſtiuis Miſſa celebrent, vt Sacerdotalem Dignitatem intactam cuſtodiant. Parochi etiam diebus feriatis, & tàm crebrò celebrent in ſua Eccleſia, vt ſuæ obligationi, ac animarum deuotioni ſatisfaciant, & ſacrificium pro bono populi ſui applicare diebus ſolemnioribus anni, ſe obligatos eſſe ſciant.

XXI. Miſſæ pro Defunctis, & votiuæ infrà Octauam Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Domini, & Epiphaniæ non celebrentur: nec non diebus Dominicis, ac Feſtiuis, nec quotieſcumque ſit in Eccleſia Officium ſub ritu Duplicis. In his tamèn diebus vnam tantùm, præſente corpore Defuncti, celebrare licebit. Quandò Miſſæ Defunctorum celebrandæ erunt, Parochus populum certiorem faciat, vt conuenire, ac maiorum ſuorum animas pijs valeat precationibus adiuuare.

XXII. Si quis Eccleſiæ, aut pij loci nomine Miſſam quotidianam legauerit, onus huiuſmodi inconſultis Nobis non ſuſcipiatur: & in Eccleſijs, in quibus vberiores eleemoſynæ ob Miſſarum celebrationem colligi ſolent, nulli aliquid vltrà que-

re-

rere, aùt flagitare fas ſit; ſed ſpontaneæ oblationes in capſula reponantur, & ex ijs detur Sacerdotibus eleemoſyna, nec aliquid diminuatur ex ijs, quæ superſunt pro neceſſarijs impenſis Sacrificij, ſi alij ſint redditus, qui licitè ad eundem vſum poſſint expendi.

XXIII. Nulli fas ſit in ijs Capellis celebrare, quæ intrà domeſticos parietes ſunt erectæ, neque in ijs, in quibus poteſt ex ædibus aſpici, aùt per feneſtras, aùt per portas, donèc à Summo Pontifice diſpenſatio obtineatur: Sint autèm ipſæ Capellæ, tantùm ſpatij habentes, quantùm familiaribus opus ſit ad Sacrum audiendum, ne per feneſtras aſpicere cogantur. In Ædiculis, quæ ſunt per agros, & vias erectæ, & quæ vulgò *Altariola* nuncupantur, nullo modo celebretur, & multò minùs ſub Dio. Qui autèm contra huius Decreti tenorem facere auderet, pœnam ſuſpenſionis eò ipſo ſe nouerit incurſurum.

XXIV. Sacerdotes aduenæ, & ignoti ad celebrationem nō admittantur, ſinè suorum Ordinariorum litteris teſtimonialibus à Nobis inſpectis, & approbatis. Regulares autem, tàm in Eccleſijs ſuarum Religionum, quàm in alijs de Rectorum licentia, viſis per Rectores teſtimonialibus ſuorum Superiorum, celebrare nòn prohibemus. Si quis aùtem aduenam, atquè ignotum ſine litteris teſtimonialibus celebrare permitteret, in eum pœnam ſuſpenſionis latæ ſententię omninò decernimus.

XXV. Bireti, annulique vſum inter celebrandum omnibus interdictum eſt, etiàmſi Doctoratus, Prothonotariatus, & Canonicatus preminentia pręfulgeant. Omnibus autèm, qui non ſunt Epiſcopi, Paramenta de Altari ſumere eſt prohibitum, niſi alitèr ſuadeat neceſſitas in caſu aliquo particulari, nunquàm tamèn de medio Altaris ſumantur.

XXVI. Sacerdotes, qui Eccleſias habent, quarum Titularis eſt S. Michael, aùt S. Io: Baptiſta, quando dicunt Orationem, *A cunctis*, eorum nomina antè SS. Apoſtolos in ea pronuncient.

XXVII.

DE SACRAMENTO ORDINIS,

Caput XVI.

I. EXplicatis ijs, quæ de Miſſæ Sacrificio tradenda viſa ſunt, nùnc agendum ſequitur de Sacramento Ordinis; quod quanta diligentia tractari debeat, facilè ex eò cognoſci poteſt, quòd cætera Sacramenta ſic ab eo pendent, vt partim ſine illo nequeant confici, neque adminiſtrari; partim ſolemni ceremonia, ac Religioſo cultu carere videantur. Per Sacram Ordinationem homo poteſtatis plenitudinem accipit, quam Deus non Angelis, ſed Sacerdotibus commiſit; quos ſæpe non Angelos ſolùm; ſed etiam Deos ſacra Scripturarum Oracula nuncuparunt. Ipſis datum eſt, vt dùm celebrant, Angelos ipſos Miniſtros habeant, & Deum ipſum per verba Conſecrationis quodammodo ſibi obedientem efficiant. Quarè ſic licet exclamare. Cognoſce ò Sacerdos, cognoſce tuam dignitatem, tuam electionem, qui vocatus es à Deo tanquàm Aaron, Rex ſcilicet, & Sacerdos, non vt panem, & vinum offeras, ſed Deum ipſum ſub panis, & vini ſpeciebus latentem, exhibeas.

II. Sed cum tanta ſit Sacerdotalis Dignitas, in primis curandum eſt, vt ad hoc munus ij cooptentur, qui vita, moribus, doctrina, ac ſtudio Eccleſiaſticæ diſciplinæ ità ornati ſint, vt ex eis, quaſi ex quodam Speculo fideles vitæ dirigendæ rationes, & exempla deſumant: Sacerdotum enim integritas, & vitæ puritas, ſalus eſt Populorum; ſicut, è contra, eorum improbitas, & praua exempla, & ſe, & alios in ruinam ſempiternam præcipitant.

III. Ad maiores ergò Ordines promouendi per menſem antè

Ordinationem coràm Nobis cōmparere tenĕantur, iuxtà Sacroſancti Concilij Trid. Decretum; & ſuam voluntatem, ac deſiderium aperiant: deindè ad proprios Parochos noſtro teſtimonio reuertantur; qui tribus diebus feſtis nomina, & titulū, ad quem erunt promouendi, publicè Populo intèr Miſſarum ſolemnia in Eccleſia denuntient, & Populum in Domino hortentur, vt ſi quid circà ætatem, mores, & vitam ipſorum Ordinandorum minùs rectum habeant, illud aperire non deſinant, & priuàtim etiàm ab hominibus, qui probatæ vitæ ſint inquirere non deſiſtant: cuius indagationis, ac publicationis teſtimonium manu propria conſcriptum, ad Nos tranſmittere non ceſſent.

IV. Sacris Ordinibus initiandi titulum habeant, quò gaudere debeant, ſiuè ille ſit beneficium, ſiuè penſio, ſeù patrimonium ſaltèm quadraginta Ducatorum Venetorum; nec beneficium illud reſignare, aùt penſionem extinguere, aùt patrimonium alienare, ſeù obligare, aùt in locum ipſorum ſubrogare quoquomodo valeant abſquè noſtra in ſcriptis licentia, ſub pœna nullitatis, & alijs grauioribus arbitrio noſtro. Præthereà per actus poſſeſſorios Nobis ſit notificatum, promouendos eſſe in actuali talis Beneficij, Penſionis, aùt Patrimonij poſſeſſione, vt fraudes, quæ in his paſsìm fieri conſueuerunt, omninò euitentur. Patrimonià verò, quæ aliena donatione fiunt, & quæ, vt plurimùm, fictitia eſſe ſolent, à Nobis non tàm facilè admittentur; ſed tùnc apùd Nos locum habebunt, cùm Donans iure iurando affirmàuerit bona donata ſua libera eſſe, nec alijs obligata quocumque modo, nec dotibus, & fidei commiſſis eſſe obnoxia; ac donans ipſe, & donatarius, nullam in eis fraudem fuiſſe, iure iurando Nos certos reddent, donationemque, ſeù Patrimonium eſſe verum, ac reale, nullamque clandeſtinam pactionem de bonis retrocedendis, aùt fructibus non percipiendis, factam fuiſſe conſtiterit. Illi verò, qui Patrimonijs fictitijs ſe initiari Sacris permiſerint, pœnam ſuſpenſionis eo

ipſo

ipſo incurrendam, ac alias, arbitrio noſtro ſtatuendas pœnas, ſe incurſuros ſciant.

V. Initiandi prima Tonſura, Oſtiariatu, Lectoratu, Exorciſtatu, ſi nondùm ſeptennium compleuerint, nullo modo accedant; nec vllus antè decimum ſecundum, vt fiat Acolythus. Ad Subdiaconatus antè vigeſimum ſecundum, Ad Diaconatus antè vigeſimum tertium, Ad Presbyteratus ordinem antè vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum inceptum nulli aſcendere liceat; ità Tridentino ſtatuente, contra quod ſi alicuius audacia in tantùm excreuerit, vt antè legitimam ætatem, vel per ſaltum, Ordines recipere non vereatur, is temeritatis ſuæ pœnas, ſe daturum ſciat, & Ordinis, illegitimè ſuſcepti, poteſtate, donèc ad legitimam ætatē peruenerit, ſit priuatus. Qui verò per ſaltum fuerit promotus, nō facilè ad Sacerdotium aſcendendi ei noſtrum præſtabimus conſenſum, & alias pœnas non effugiet.

VI. Ab vno ad alium Ordinem interſtitia ſeruentur, vt vnuſquiſque ſe in ſuſcepto ordine valeat exercere; priuſquàm ad alium ſuſcipiendum accedat. Si verò iuſta de cauſa ab interſtitijs ſit diſpenſandum, eius rei rationem in ipſo etiam diplomate reddi, & exponi mandamus.

VII. Ad primam Tonſuram non admittentur, qui legere, ſcribere, ac Fidei Catholicæ rudimenta ignorabunt; & de quorum vita, moribus, ætate clarè conſtiterit. Prætereà Natalium, Baptiſmi, & Confirmationis fidem exhibere teneantur. Volentes aùtem ad minores promoueri, ſàltem linguam latinam intelligant; aliàs nullo modo admittentur; ſed nequè illi, qui ad maiorem prouecti ætatem, iudicij ſæcularis euitandi cauſa, & non deuotionis ſtudio, clericalem ſtatum aſſumere voluerint.

VIII. Tonſurati, & qui ad minores promoti ſunt, Habitum, & Tonſuram Clericalem deferant; Eccleſiæ, cui adſcripti fuerint, aùt in futurum adſcribentur, diligenter inſeruiant; aliàs nullo fori priuilegio, pròut Sacroſancta Concilia decreuerunt,

gaudere ſciant. Nullus quoquè Clericus, aùt ſacris initiatus Eccleſiam, cui adſcriptus fuerit, ſine Noſtra licentia audeat deſerere; aliàs ſuorum Ordinum exercitium ei interdicetur. Si verò aliquis dubitet, cui Eccleſiæ adſcriptus ſit, Nos dubium declarantes, dicimus, quòd in Ciuitate, quilibet Clericus debet cenſeri adſcriptus Cathedrali; in Oppidis, Collegiatæ; in Villis, Parochiali, ibique ſe in ſacris, & minoribus ordinibus exercere teneatur.

IX. Omnes ij, qui Ordinibus appetunt initiari, ſtatuto tempore ad nos veniant nomen, cognomen, patriam, originem ętatem, & Ordines, ſi quos habent, Beneficia, Penſiones, Patrimonium ad Nos allaturi, & prężentaturi. Habeant à Parocho, & Magiſtro Scholę fidem iuratam, quam ad Nos deferant, in qua progreſſum in litteris, honeſtatem vitę, Eccleſię ſeruitium, Ordinis exercitationem, ſi quem habeat (cuius etiam patentem afferat) contineri volumus: insùper, an veſte Clericali ſemper vſi ſint, an, Chriſtianam Doctrinam didicerint, vel illam diebus Dominicis Pueros docuerint. Neque enim ad gradum altiorem, decet eos aſcendere, qui inferiora officia exercere propter ignorantiam, aùt negligentiam, vèl neſcierunt, vèl non curarunt.

X. Idem paritèr de ijs intelligatur, qui litteras dimiſſoriales obtinent; qui, poſtquàm ab Epiſcopis alienæ Diœceſis fuerint ordinati, intrà menſem poſt Ordinis ſuſceptionem per ſe, aùt per alium, ſi legitimè impediti fuerunt, coràm Nobis, ſuæ promotionis teſtimoniales litteras præſentaturi, compareant. Qui à Diœceſi noſtra abſentes pro Ordinibus ſuſcipiendis Dimiſſorias poſtulant; ad Nos priùs examinandi veniant; niſi ità ſint impediti, aùt remoti, vt Nos, de eorum impedimento, & abſentia, certiores redditi, aliud ſtatuendum iudicemus. Huiuſmodi autèm litteras, niſi legitima, ac graui cauſa vrgente, nullus ſe impetraturum ſperet, à quocumque Nobis per litteras, vèl alio modo commendetur; Quod tàm ab Ordinandis, quàm

226

quàm ad Confeſſionem examinandis omninò fieri prohibemus: Nos enim, qui huiuſmodi nituntur adminiculis, plerùmque inſipientes eſſe, & indignos, qui exaudiantur, longa didicimus experientia. Prætereà nemo ſibi perſuadeat fore, vt ad ordines, & Confeſſiones, alicuius gratia, vel fauore admittatur; nàm, qui conſuetum examen ſubterfugere ſtudet, apud Nos magna ignorantiæ ſuſpicione laborat, qui virtutum meritis aditum patefacere gaudemus: litteras tamèn Parochorum, quibus adiuuandis in Confeſſionibus, examinandi inſeruire debent, requiremus.

XI. Aduenæ, qui ad Nos veniunt initiandi, litteras habeant Dimiſſoriales à proprijs Epiſcopis, quibus Nos certiores faciant de facultate à proprio Ordinario collata, ad hoc, vt poſſint promoueri; de ordine, in quo fuerint conſtituti; de legitimo Natali, ætate, moribus, Doctrina: & qui litteras huiuſmodi non habuerint, ad alios ordines aſcendere non permittentur. Si verò nullum ſit tempus præſcriptum ad ordines ſuſcipiendos, ipſas Dimiſſoriales litteras, ſi tribus menſibus antiquiores fuerint, reijciemus.

XII. Omnes itèm Regulares habeant à ſuo Superiore fidem de iuſta ætate, de vitæ, ac morum integritate, & litterarum peritia: oſtendant paritèr bonum de ſuæ Religionis profeſſione teſtimonium.

XIII. Admonemus prætereà Superiores tàm Sæculares, quàm Regulares, & omnes in Domino obſecramus, vt ſuorum nemini litteras Dimiſſoriales concedant, vt à Nobis promoueantur, niſi prius illos examinauerint, & approbauerint; ne poſteà, à Nobis deficientes repertos, reijcere cogamur: neminem enim diuino ſeruitio conſecrare intendimus, qui iuxtà Canonicas Sanctiones non fuerit repertus idoneus.

XIV. Alienigenæ, qui per decennium continuum in Noſtra Diœceſi incolatum habuerint; vèl qui nupèr animo permanendi ad hanc ſuam tranſtulerint habitationem, & familiares

No-

Noſtri, qui per triennium Nobis fuerint ſamulati, ad Ordines admittentur; ſi tamén cœtera omnia, quæ à iure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus requiruntur, in ipſis omnibus reperiri conſtiterit.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

Caput XVII.

I. POſt ſacram Ordinationem, per quam Presbyteri creantur, extrema Infirmorum Vnctio ſeſe ſe offert tractanda, in qua miniſtri aſſumuntur. Vocatur autem hoc Sacramentum Extrema Vnctio; quia omnium ſacrarum vnctionum, quas Dominus Saluator ſuæ Eccleſiæ commendauit, vltima ſit adminiſtranda; dicitur prætereà Vnctio infirmorum, & Sacramentum exeuntium, vt ex ipſis nominibus fideles vltimi illius temporis recordentur, quo eſt ex hac vita migrandum, & totius vitæ vèl benè, vèl malè actæ ratio reddenda: quæ qui intimo ſenſu rectè cogitarit, non modò præteritorum ſcelerum pœnitebit; ſed vitæ reliquum ad normam diuinæ legis cum Dei auxilio dirigere omninò ſtudebit; Pauca ergò circa hoc Sacramentum tradenda curabimus, vt noſtræ Paſtorali curæ deeſſe non iudicemur.

II. In primis ergò qui curam agunt Infirmorum, maiorem Animæ, quàm Corporis cuſtodiam habeant, & prius Sacerdotem, quàm Medicum adeſſe procurent, vt mens à peccatorum labe, per Confeſſionem, & Pœnitentiam antè purgetur, quàm corpori remedia adhibeantur. Quià verò nonnulli, quodam ſuperſtitioſo metu, hac contumaci negligentia eò prouehuntur, vt etiam Parochi diligentiam, qui viſere ægrotum pro ſui muneris obligatione deſiderat, ſummoperè oderint, ac etiam

ab ædium aditu prohibeant: Nos ægrotantium neceſſitati, & iſtorum improbæ opinioni, prouidere volentes; omnibus quibuſcumque, in quorum poteſtate, & cura ægroti ſunt poſiti, omninò prohibemus, ne Parochum, aùt alium Sacerdotem, Parochi officio fungentem, qui viſere ægrotum pro ſui muneris debito voluerit, vllo modo excludant, aùt in aliud tempus viſitationem reijcere valeant, quàmuis hoc officium æger ipſe aſpernari videretur: huius autèm Decreti finis eò ſpectat, vt Parochus Conſolatoris, hortatoris, ac monitoris fungatur munere, animamque ægroti ſinè vlla intermiſſione moræ, aùt impedimenti præmunire, ac Sacramentis refocillare non deſinat.

III. Prohibemus, ne vllum à domeſticis, aùt ab alijs Perſonis impedimentum apponatur, ſi fortè æger cum ſolo Parocho, remotis alijs, colloqui voluerit. Sin aliqua iuſta ſit cauſa, ob quam vel Sacerdos adire recuſet, vel æger adeuntem reijciat, Nos hac de re certiores facti, alium Sacerdotem, (ſi ità videbitur expedire) vices Parochi facturum, ſubſtituemus.

IV. Cum ex ſuis aliquem Parochus nouerit ægrotare, vltrò ipſum viſitet, & nullo modo, donec aduocetur, expectet, & ſi huiuſmodi ægrotum corporis tantùm, non animæ ſanitatem, curare animaduerteret, eius partes erunt, modò blandis adhortationibus, modò aſpera obiurgatione, & damnationis æternæ comminatione incurioſum illum, à ſæuiſſimi Serpentis fraudibus, ad ſalutis æternæ conſiderationem, curamque reducere.

V. Si quis autem propter ſcelerum multitudinem, atrocitatemque ſpem propriæ ſalutis abieciſſe videatur, huic Parochus infinitam Dei miſericordiam, & Chriſti Domini Redemptoris paſſionem ob oculos ponet, cuius virtute nullus eſt adeò grauiſſimorum ſcelerum cęno inuolutus, qui vi lacrymarum, & vero cordis dolore ingemiſcens, veniam à miſericordia Dei impetrare non valeat.

VI. E

VI. E contrà ſi quis ità ſibi blandiatur ab ea, quę piè, ac rectè interdùm operatus eſt,& propterea de ſua ſalute pręſumere non vereatur; huic illud Apoſtoli inculcandum eſt, dicentis: *Quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis*; & ſi quid pręmij noſtris operibus Omnipotens concedere dignetur, id illius miſericordię, non noſtro merito,quod nullum eſt, adſcribi debere. Hinc illum paterno affectu adhortabitur; vt pręſumptionem ſtultam deponat, & Deum ipſum, in cuius conſpectu non iuſtificatur omnis viuens, humilimè deprecetur, ne in iudicium intret cum ſeruo ſuo, ſed potius remiſſionem ex ſua liberalitate concedat.

VII. Si Infirmus ob morbum ingraueſcentem vita periclitari videatur; tùnc Parochus ęgrotum (dùm mens adhuc integra eſt) hortetur, vt bona ſua teſtamento diſponat, caueatque, ne, aut ſtudiò, aut maleuolentia ductus, alium commendet, alium in odium adducat: multò autem minùs curet, vt, dùm de eleemoſyna eroganda tractabitur, aliquid ſibi relinqui procuret; ſed Pauperes, & pia loca illi proponet, vt ipſe æger ex charitate id agi, & ſuæ ſalutis intuitu, curari cognoſcat.

VIII. Parochus Sacram Communionem allaturus ęgrotanti; ſi eum periculoſiùs laborare intellexerit, & tempus ad Eccleſiam repetendam ſibi defuturum timeat; Oleum Infirmorum ſecum habeat, & poſtquàm Euchariſtiæ Sacramentum ægroto adminiſtrauerit, ſacri Olei vnctionem, ne ſinè ea Infirmus decedat, illico tribuere poterit. Prætereà aſſiſtentes ægroto poterunt à Parocho admoneri, vt ſi id tempus permittat, & Infirmus ſit in Vrbe, aut alio propinquo loco, aliquis ad Nos mittatur, ad hoc vt Indulgentiam plenariam cum Papali benedictione petitam, recipiat.

IX. Extrema Vnctio ijs tribuenda eſt, qui graui morbo laborantes, dùm adhuc ſenſus vigent, eam ſpontè petunt, vt debent, ad hoc vt maiorem gratiam ex ea percipiant: at niſi eam petierint, tamèn conferenda eſt: nec omninò debet ei denegari, qui

qui ex vi morbi cognitionem,ſenſusque perdiderit, dummodò, aùt vitæ illius turpitudo non ſit manifeſta, aùt animus in malis pertinax, Pœnitentiæ mentionem audire noluerit.

X Qui, inopinato caſu ſenſibus deſtituitur, debet hac Vnctione muniri, dummodò bona vixerit fama, & probatis moribus,aùt aliquo dicto,aùt facto ſignum dederit,ex quo veræ Contritionis argumentum deduci probabilitèr poſſit.

XI. Senes,qui ſenſim confecti ætate,deficiunt,etiã ſi nullo alio, quàm Senectutis morbo teneãtur,nihilominùs, ne eos ſinè hoc Sacramẽto vita deſtituat,vngẽdi ſunt. Saucijs vngi petentibus, aùt Chriſtianę pietatis ſigna prębentibus, hoc Sacramentũ nõn eſt denegandũ. Pueris autèm ea ætate præberi poterit, quæ ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta accomodari videatur. Homini itèm vago, dùm hac aura adhuc veſcitur, ſacra Vnctio conferatur:ſin mortuũ eſſe conſtet,non eſt vngẽdus ſi verò Vnctio fuerit inchoata, debet ſic imperfecta relinqui: ſin mors ſit dubia,addat eã cõditionẽ, *Si viuus es*, & ſic reliqua proſequãtur.

XII. Nullus,qui rectè valeat,etiàmſi mortis periculũ ſit mòx ſubiturus,eſt hoc Sacramento muniendus: quarè pręliũ ingreſſuris,nauigationi ſe daturis,aùt ad ſupplicium ituris,Vnctio Extrema non debet adminiſtrari: quod itèm de amẽtibus,& furioſis,dilucida,non habentibus interualla,dicendum eſt:ſecùs autẽ eſt de ijs, qui lucida haberent interualla,& illud petijſſent, aùt ſigna doloris præbuiſſent, & irreuerentiæ periculum abeſſet.

XIII. Æger à Parocho,priuſquã vngatur,erit admonẽdus vt (Anima Confeſſione à culpis purgata,& Sacra Cõmunione refectã)ità ſe prębeat,vt animę antè omnia,deindè corporis ſalutẽ,ſi id ſibi ad vitam perennem profuturũ ſit,exoptet. Parochus tamèn aduertat,quòd in vno,eodẽq;morbo,non debet hoc Sacramentũm iterari,ſed quòties in nouũ vitę periculum ęger inciderit,toties huius Sacramenti remedio poterit adiuuari;eodemq; modo,ſi morbus fuerit diuturnus,& pòſt collatã Vnctionẽ,iterũ ęger in vitę diſcrimẽ deuenerit,hoc ſubſidio cõmuniri poterit.

K XIV. Quan-

XIV. Quandò hoc Sacramentum alicui adminiſtrandum eſt, Parochus Superpelliceo indutus, Stolaq; de collo pendente, Olei vaſculum deferat (niſi aùt loci diſtantia, aùt itineris aſperitas obſtet,) quod ſerico in ſacculo contineatur, ſerico itèm funiculo ad collum ſuſpendatur. Ritum, formam, & partes, quę vngi debent, videat in Rituali Romano; & formam tàm in hoc, quàm in alijs Sacramentis, methodumque in illo deſcriptam, ad vnguem ſeruari mandamus; nihilque addere, aùt detrahere audeant: & qui alitèr fecerit, pœnam ſuſpenſionis eò ipſo incurrendam, contrà eum ſtatuimus. Adhortetur etiam præſentes, vt dùm Infirmus inungitnr, pro eo genibus flexis, & humili corde Deum deprecari dignentur.

XV. Oleum, non alibi, quàm in Eccleſia, niſi alitèr facere neceſſitas cogat, ſeruetur. Nec ad illud accipiendum in hebdomada maiori Sæcularis ad Cathedralem, vèl ad Matricem mittatur. Vetus Oleum, niſi neceſſitas vrgeat, non adhibeatur, ſed omninò comburatur.

XVI. Solus Parochus, aùt de ipſius licentia alius Sacerdos, hoc Sacramentum adminiſtret: nullo autèm modo Regulares hoc munus exerceant ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quòad ipſos Regulares, & quoàd alios arbitrio Noſtro.

XVII. Deniquè ſi Parochus, ægrotum animam agere, cognouerit, abeuntem ipſum Deo commendet, ea omnia obſeruando, quæ in Rituali Romano ſunt annotata. Quòd ſi contingat, Sacerdotem, qui ex officio tenetur, ad hoc munus vocatum moram feciſſe, & pro negligentia ab eo adhibita, aliquem ſinè hoc Sacramento mortuum eſſe conſtiterit, vltrà culpam, pro qua Reus apud Deum agitur, Nos quòque graues ab eo pœnas pro tanto crimine repetemus.

XVIII. Pòſt Sacram Vnctionem non deſerantur infirmi à Parocho, ſed illis aſſiſtat, orationibus, alijſque pijs auxilijs ſubueniendo; ſi enìm vnquàm Parochus paternam ergà ſuas oues

pie-

pictatem, & vigilantiam exercere debet, ſanè tùnc temporis illi inſudandum eſt, & omnes cogitationes, conſilia, ſtudiaque adhibenda ſunt, dùm æger agens animam, varijs, iiſque grauiſſimis, tùm animi, tùm corporis, angoribus vexatur.

De Sacramento Matrimonij.

Caput XVIII.

I. SAcramentum Matrimonij, quod Apoſtoli præconio magnum appellatum eſt, Extremæ Vnctioni quàm aptiſſimè annectitur; ſicùt enim Matrimonium reſpicit generationem hominis ad vitam temporalem: ità Extrema Vnctio munit exitum ad vitam perennem: Matrimonium ſibi pro fine conſtituit humani generis conſeruationem: Extrema Vnctio contrà Diabolum armat ad beatitudinem. Quinimò Sacramentum Vnctionis ſic pendet à Sacramento Matrimonij, vt niſi per hoc fieret generatio, per illud non fieret ad exitum roboratio.

II. Matrimoniũ cõmuni Theologorum ſententia ſic definitur: *Eſt viri, ac mulieris maritalis coniunctio inter legitimas Perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.* Quibus ex verb[illegible]ro-
teſt colligi, quàm arctus ſit illorum nexus, qui Ma[illegible]
ſta fœdera inierunt, vt nullo vnquàm temp[illegible]
nullo iure, ab hac valeant obligatione reſil[illegible]
verba Saluatoris demonſtrant, qui ait [illegible]:
vna, & alibi: *Quod Deus coniunxit, homo* [illegible]
itaquè *non ſunt duo, ſed vna caro.* Tant[illegible]
gnitatem Coniugati præ oculis habent [illegible]
venerantes, fidem ſeruent, pacem cuſt[illegible]
re Domini educare non ceſſent.

III. Parochus, antequàm publicet Matrimonia, exactè requirat, an Sponſi conſenſum habuerint Parentum; nàm quamuis Matrimonium abſque illo conſiſtere poſſit, tamèn pro reuerentia eis debita, qua nihil ſanctius apud Deum eſt, eorum voluntatem in re tanti momenti explorare, & perficere, ſummoperè commendabitur.

IV Omnia Matrimonia coràm proprio Parocho celebrari volumus · qui autèm præſente alio, cuius curæ non ſubſunt, etiamſi in ſua Parochia ſint, Matrimonia contrahunt, ſe inualidè contrahere ſciant, & hoc Matrimonij genus Nos minimè eſſe paſſuros, quòd Sacri Trid. Conc. forma ſeruata non fuerit. Illa verò Matrimonia, quæ coràm Sponſi, aùt Sponſæ Parocho celebrata fuerint, etiàmſi diuerſarum Parochiarũ ſint, approbamus.

V. Sacerdos, qui de Noſtra, aùt proprij Parochi licentia matrimonio aſſiſtit, perfecto munere ſibi commiſſo, ad proprium Parochum ſcribat de à Nobis, ſeù à Parocho accepta facultate, de factis denuntiationibus, de benedictione impertita; insùper annotet diem, locum, nomina, & cognomina tàm Sponſorum quàm Teſtium; vt hæc ipſa in libro Matrimoniorum, à Parocho reponantur; addito Sacerdotis nomine, qui aſſiſtere iuſſus fuit.

VI. Adhibeant Parochi diligentiam, vt Populus hanc legem obſeruet, & ſedulò caucant, ne quid ſecùs ab vllo fiat, aliàs pœnas graues arbitrio Noſtro ſe paſſuros intelligant. Sèd, vt huius Decreti memoria nullo vnquàm tempore obliteretur; volumus, vt quotannis aliquo die feſto, cùm maior fuerit Populi frequentia illud à Parochis populo exponatur; & vt magis ab omnibus intelligatur in vulgarem linguam traduci volumus.

VII. Parochi omnes, antè denunciationes in Eccleſia faciendas, accipiant à Sponſis conſenſum, caueantque, ne, dùm quærunt, an ſua nomina denunciari velint, etiàm ab ipſis quærant, vt in Matrimonio contrahendo, ſe miniſtri vti velint. Parochus coràm Parentibus, & propinquis (alijs aùtem remotis) Sponſam interroget, vt, ſi eam à tali Matrimonio contrahendo alienàm inue-

inueniret, animi ſui ſenſum liberius expromere audeat: ſin ipſam ſponte id facere cognoſcat, & viciſsim ſponſum, tùnc eorum nomina, & deſiderium tribus diebus feſtiuis ordine ſubſequentibus in Eccleſia intèr Miſſarum ſolemnia euulget, cum Populus frequens ad Miſſam audiendam conuenerit; excluſis tamen diebus Natalis, Paſchæ, Pentecoſtes, & Corporis Domini noſtri, & ſi nihil impedimenti adductum fuerit, tertia die tranſacta poſt tertiam celebrationem, & non prius poterit contrahi Matrimonium. At ſi pòſt eius conſummationem latens aliquod impedimentum publicum fiat, Nos faciat Parochus certiores, & interim, dùm ſuper eo ſtatuatur, Coniuges etiàm quoàd habitationem ſeparentur, & ab omni prorsùs conſuetudine abſtineant: ſi autem conſummatum non fuerit, conſummari prohibeat, & ſeparationem modò dicto procuret. Si verò occultum impedimentum Parocho, ſeù alteri Sacerdoti aperiatur in Confeſſione, vèl extrà eam poſt contractum per verba de præſenti Matrimonium, ſeù etiàm poſt eius conſummationem; ſi ambo ipſorum pro certo ſciant impedimentum, eos Parochus, vel ille Sacerdos ad cuius cognitionem impedimentum peruenerit, admoneat feriò eis non licere abſq; grauiſſimo peccato nec petere, nec reddere debitum coniugale, donèc ab Apoſtolica Sede diſpenſatio obtenta fuerit. Si verò alter tantũ ex Coniugibus ſciat impedimentum, is ſolum admoneatur ei non licere nec petere, nec reddere; & conſideratis circumſtantijs procuretur aliquod remediũ, nè ſequatur copula, quo caſu prudentia Parochi laborare debet. Si autèm de impedimento dubitetur, & dubium leue ſit, prudens Parochus, ſeù alius Confeſſor ſcrupulos tollat, & talibus permittat non ſolùm reddere, ſed etiàm petere. Quandò verò dubium probabile, & non leue eſt, Coniux conſcius certior fiat, ei nõ licere petere, ſed teneri reddere, donèc dubiũ deponat.

VIII. Aduenas, peregrinos, alienæq; Diœceſis accolas, ſibique ignotos Parochus ad Matrimonium nullatènus admittat abſq; noſtro inſcriptis mandato. Id autem, quoàd accolas alienę

Diœceſis cum hac moderatione intelligi volumus, quod ſi locus, in quo alter Coniugum habitationem habet, licèt alienæ Diœceſis ſit, adeò noſtræ Diœceſi contiguus, ità vt non ampliùs vno, vel altero milliario à Parochia noſtræ Diœceſis, in qua eſt celebrandum Matrimonium diſtet, & ipſius Parochus, & eius caracter ſit notus Parocho, qui debet Matrimonio aſſiſtere, liceat ei accepta fide publicationum à Parocho habitationis, in dicto caſu abſquè alio mandato ad aſſiſtentiam procedere.

IX. Volumus autèm, quod Matrimoniorum publicationes fiant in vna quaque Parochia, vbi Sponſi dè præſenti habitant, & vbi per aliquod tempus etiam breue, non tamèn per accidens fuerunt.

X. Nec Fides pu blicationum relaxetur die factę publicationis, & in tali fide exprimatur quo die, ſeu quibus diebus ſecutæ ſint, alias Parochus aſſiſtens Matrimonio, eis non attendat, ſub pœna ad arbitrium.

XI. Denunciationes tandiù differri debent, donèc ad Matrimonium celebrandum omnia fuerint parata: quòd ſi Matrimonium protrahatur, elapſo bimeſtre à denuntiationibus factis, Parochus ne eos abſque noſtra diſpenſatione coniungat. Abuſus autem, & vitium illud ſimùl coeundi antè initum Matrimonium in faciem Eccleſiæ omninò corrigenda ſunt; nàm præterquàm quod pœna ſtupri tenentur, Nos quòque, vt talibus pręſentiori remedio occurramus, huiuſmodi ſceleris abſolutionem Nobis reſeruandam duximus.

XII. Deſiderantes diſpenſari à publicationibus, vel ab aliqua earum ſuum Parochum de cauſa certiorem faciant, à quo, iuſta, & rationabili cognita cauſa, Nobis ipſa ſignificetur, & à Nobis diſpenſatio petatur; & ſi id Nobis iure fieri poſſe videbitur, licentiam in ſcriptis dabimus, & tùnc poterunt coràm Parocho, & binis, aut tribus teſtibus Matrimonium contrahere, ſolùm tamèn tertia die poſt factam publicationem, in qua de

Diſpen-

Diſpenſatione Populus intelligibiliter à Parocho admoneatur; ne ſerò, iam contracto Matrimonio, ab expectantibus alias publicationes impedimentum aliquod detegatur. Inito tamèn tali modo Marrimonio, antèquam Sponſi ſimùl cohabitent nihilominùs publicationes omiſſæ erunt peragendæ. Quòd ſi Parochus in publicando, vèl diſtulerit, vèl mutauerit aliquid, vèl in toto Matrimonij negotio aliquid dolosè feciſſe cognoſcatur, pœnas pro arbitrio Noſtro graues ſe daturum ſciat.

XIII. Vt aùtem Matrimonium ſanctius celebretur in Eccleſijs potiùs quàm domi celebrari mandamus abſque noſtra in ſcriptis licentia, & hoc poſt diluculum, vt Sponſi Sacro intereſſe poſſint, &, proùt in Miſſali præcipitur, benedictionem accipere, quæ tàmen in ſecundis nuptijs non adhibetur.

XIV. Coniuges in Domino hortamur, & priùſquam inuicem corpora coniungant, Euchariſtiæ Sacramento mentem, animamque reficiant; potiùſque amore prolis, quàm libidine ducti actus coniugales exerceant; nàm qui vacant voluptati, ſicùt equus, & mulus ſe potius intemperanriam carnis, quàm meritum gignendæ prolis ſequi conuincuntur.

XV. Parochi per verba de præſenti nullum Matrimonio coniungant, cuius ætas nondum in viro ad decimum quartum, in fœmina ad duodecimum completum ſaltèm peruenerit annum.

XVI. Si Peregrinus, & ignotus in alicuius Parochiam habitaturus venerit, mulieremque pariter ignotam ſecùm habuerit, quàm ſuam coniugem aſſerat, cum ea autèm ità viuat, ut ſuſpicionem falſi coniugij omnibus præbeat, Parochorum partes erunt, vt ille infra tempus ab ipſis ſtatutum probet, talem mulierem ſibi iuſto matrimonio colligatam fore, & ſi hoc parùm valeat probare, pro Concubinario habeatur.

XVII. Si quis ad tantam temeritatem, Diabolo ſuggerente, peruenerit, ut mulierem aliquam rapere auſus ſit, licèt illius in uxorem ducendæ cauſa ſe feciſſe dicat, nullum intèr ipſum

raptorem, & mulierem raptam Matrimonium poſſit exiſtere, quandiù illa in poteſtate Raptoris permanſerit, ſicùt à Tridentino Concilio ſtatutum eſt. Propterea caueant Parochi, ne talium aſſiſtant Matrimonijs abſque noſtro in ſcriptis mandato.

XVIII. Sponſos adeò rudes, ut ne prima quidèm Chriſtianæ fidei rudimenta cognoſcant (quod interrogationibus Parochi experientur) mandamus, vt non antè matrimonio coniungant, quàm decem præcepta Decalogi, Dominicam Orationem, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum didicerint: & de huiuſmodi re Populum ſæpè ſæpius comminatorio modo præmoneant; quia ignorantibus Chriſtianam Doctrinam, ut Sacra decreuit Congregatio, Matrimonia prohiberi debent; quomodò enìm poterunt Patres ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, filios edocere, ſi eadem ipſi nunquam didicerunt?

XIX. Quandiù alter Coniugum ab altero abſens fuerit, & ubi gentium ſit, & nùm uiuat, liquidò non conſtet; tamdiù neutri eorum nouum contrahere Matrimonium iuxtà Sacros Canones non permittatur, niſi de abſentis morte per legitimas probationes à Nobis cognoſcendas, nouum Matrimonium contrahere intendens, probet.

XX. Præcipimus etiàm, ut unuſquiſque Parochorum librum habeat, in quo ſingula Matrimonia manu propria deſcribat, ſeruato ordine, & forma in Rituali Romano annotata; & hoc in uirtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis contra delinquentes arbitrio Noſtro infligendis.

XXI. Qui falſa pro ueris ad Matrimonij contractum impediendum doloſè detulerit, is ultrà pœnas à legibus inflictas à Nobis etiàm excommunicationis cenſura corrigetur.

XXII. Quoniàm uerò homines tàm improbæ Naturæ inueniuntur, qui Matrimonia ueneficijs impedire conantur, & à Dæmone, cuius poteſtati ſe addixere, ità impelluntur ad ſcelera, ue non ſolùm corpora impediant, & obſtringant, uerùm

etiam

etiam mente perturbata, & alienata homines ad maciem, reductos conficiant, & enecent: Nos vt hoſce diabolicos homines quibus poſſumus pęnis coerceamus contrà faſcinantes, & veneficia exercentes, re, vèl conſilio adiuuantes, aùt eorum opera vtentes, ſtàtim in ipſo flagitio perpetrando excommunicationem latæ ſententiæ decernimus; aliaſque grauiſſimas pęnas corporales ſe paſſuros non dubitent.

XXIII. Parochus omnia calleat Matrimonij impedimenta, tàm ea, quę impediunt, quàm ea, quę dirimunt; nullumque cum aliquo eorum permittat Matrimonio coniungi, ne ipſe rationem Omnipotenti Deo, & Nobis reddere cogatur.

XXIV. Si circà gradus, aùt alia, quæ Matrimonium contrahendum vèl contractum impedire, vel dirimere poſſunt, ſcrupulus aliquis exoriatur, recurrat Parochus ad Epiſcopum, & ad eum referat ambiguitatem, ad cuius iudicium quæſtionem ſoluere ſpectabit; magna enìm ratione Sancta Romana Eccleſia ſolis Ordinarijs quęſtiones ambiguas in cauſis Matrimonialibus reſeruauit.

DE EXORCISMIS.
Caput XIX.

I. CLerici, qui ad Exorciſtatus ordinē promouentur, cùm poteſtatem accipiant ab oppreſſis corporibus Dęmones eijciendi, & Exorciſmorum libros legendi, id munus in primitiua Eccleſia liberè poterant exercere. At officium hoc cum ſit altiùs, quàm vt illud humanæ naturæ vires æquare valeant, & niſi à Deo auxilium præſtetur nunquàm poſſit ea, qua decet, Religione tractari; propterea tàm Exorciſtis, quàm Sacerdotibus omnibus Sæcularibus, & Regularibus, etiam ſi Parochi ſint, ſub pęna Suſpenſionis à diuinis eo ipſo incurrenda, & eius abſolutione Nobis reſeruata,

interdicimus, ne quis eorum ſine licentia à Nobis obtenta manus Energumenis, idèſt poſſeſſis à Dęmone imponere, vèl ob maleficia quemuis ſignare audeat; impoſita etiàm peccati mortalis pęna ijs, qui ſe ſignari hoc maleficiò patiuntur, cuius abſulutionen Nobis paritèr reſeruamus. Volumus enim prius cuiuſque ætatem, peritiam, ac mores probare; quàm munus hoc quem quam exercere patiamur.

II. Igitur antequàm Sacerdos à Nobis habita in ſcriptis licentia ad Exorciſmos accedat, ſecum ipſe cogitet, quoddam eſſe Dęmoniorum genus quod non niſi ieiunio, & oratione repellitur: poſteà Sacrificio deuotiſſimè peracto, Deum ſibi propitium reddat, atquè eius opem, & auxilium humiliter imploret. Hortetur etiàm Energumenum, vt intima cordis compunctione, & ſacra Communione animũ à peccatorum maculis emundet, pijſque Deum precibus exoret, vt ſi ſaluti animę ſuę ſit profuturum, ab illa miſeria ſe liberare dignetur.

III His peractis Sacerdotis erit explorare, num aliqua lateat fraus, nùm potius amentis valetudine, & dementiâ, quàm ab infeſtis Spiritibus agitetur, & ſi neceſſarium iudicet, etiàm Medici iudicium adhibeat: ſępè numero enim contingit; vt homines melancolici facilè atrę bili remedium non inuenientes morbi cauſam naturalis in malos Dęmones conferant. Ob id Sacerdos diligènter aduertat, qui mores, quę vita, quod ingenium illius ſit & cum naturali morbo eum vexari ſenſerit, ab Exorciſmis prorsùs abſtineat.

IV. Animaduertat etiàm, an qui Energumenus habetur, diuina verba audiendo commoueatur, furat, & ſe ſe atrocibus oculorum, ac totius corporis motibus contorqueat; an Ieſu Chriſti nomen horreat, an ſacras res formidet; an inſanis conatibus plùs virium, quàm ætas eius, & ſexus natura ferat, habere videatur; an aliqua pars corporis repentino tumore inſletur; an tumor ipſe Cruce deſùper facta diſcutiatur, & aliam in partem ſtàtim transferatur; an aliena, & ignota lin-

ſingua rectè, & multa loquatur; an de rebus ſibi incognitis peritè, & ſapienter diſſerat, & deniquè, an res longè diſtantes, occultaſuè prodat, ac notas faciat: hæc enim omnia ſuprà naturam hominis fieri conſtat.

V. Sacerdos fortiſſimo Fidei telo armatus deprehenſum Dœmonem aggrediatur, nihilque aliud, quàm Dei gloriam, & Energumeni liberationem ſibi proponat, ſtatuatque nihil omninò agere, quod ad eam non pertineat: nihil curioſè quærat, ſed tantùm interroget de numero, vnuſnè, an plures ſint, & quot nefarij Spiritus miſerum hominem detineant occupatum. Cauſam ſimilitèr, & occaſionem exploret occupationis, & quamdiù ipſum captum habeant. Si verò aliquandò (quod ſæpè à Dœmone fit) miſceantur nugæ, ridicula, & ioci; nàm hoc aſtu facit ad Sacerdotis mentem, & adſtantium à deuotione alienandam, illum imperioſè reprimat, nec riſum à circumſtantium corona ſuſcitari patiatur.

VI. Nec antè Solis ortum Exorciſmos incipiat, nec pòſt Solis occaſum eos proſequatur, nec duos vnò, eodemque tempore Energumenos exorcizet: neminem Altari imponat: nec alios, quàm à Sancta Romana Eccleſia traditos adhibeat Exorciſmos, & ea omnia, quæ à Rituali Romano Pauli V. præſcribuntur, obſeruentur.

VII Non in priuatis laicorum domibus, ſed in Eccleſiæ loco conſpicuo, & aperto, remota multitudine, ne res tumultibus perturbetur, fieri debent Exorciſmi; Viris ætate grauibus, & Religione ſpectatis aſſiſtentibus. Si Mulier exorcizanda eſt, cautè procedat Sacerdos, ne quid, aùt fiat, aùt dicatur, ex quo vèl ſibi ipſi, vèl Mulieri impudica cogitatio queat imaginari. Studebit, vt duæ ſaltèm graues, & venerandæ Matronæ, ac totidem paritèr Viri probatæ vitæ adeſſe velint, & his omnibus (ſi fieri poteſt) quàm maximè affinitate, & conſanguinitate obſeſſæ Coniunctis.

VIII. Omnem quæſtum, aùt quidlibet lucri ex ea re fieri

vetamus, vt, ſi quem pecuniam, aùt mercedem aliquam pro eo opere exegiſſe comperiamus, ſeuerè in eum pro modo culpæ ſimus animaduerſuri.

IX. Nullus aùtem ea licentia, quam hanc circà rem à Nobis obtinuerit, anteà vtatur, quàm Parochus in cuius Parochia munus hoc erit executurus, ſibi viderit præſentatam.

X. Insùper omnibus, & ſingulis tàm Sæcularibus quàm Regularibus Eccleſiaſticis, & Laicis quibuſcumque Ægros quoſcumque benedicere, ſeù ſignare interdicimus, Exorciſmos adhibere, cibos, & medicamina benedicere, aùt benedicta exhibere; niſi priùs à Nobis licentiam in ſcriptis obtinuerint, quod ſolùm Parochis pro ſuis Parochianis permittimus. Mandamus itèm omnibus Confeſſarijs, vt Mulierculas, & alias Perſonas quaſcumque ab huiuſmodi benedictionibus, & ſignis, omni ſtudio deterreant; quibus renuentibus Sacramentalis abſolutio nullatènus impertiatur.

De Oratione quadraginta horarum.

Caput XX.

I. ORatio, quæ ex Domini præcepto Fidelibus neceſſaria eſt; inquit enìm apud S. Lucam: *oportet ſemper orare*, eſt quoddam Religionis argumentum, quod Thymiamati comparatur. Inquit enìm Profeta: *Dirigatur Oratio mea, ſicùt incenſum in conſpectu tuo*. Oratione noſtram apùd Deum humilitatem teſtamur, & eidem Nos eſſe ſubiectos profitemur. Quantos aùtem, & quot fructus ex ea capiamus, Auguſtinus paucis enumerat dicens: Oratio iuſti eſt clauis Cœli: aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio: licèt alta ſit terra, altum Cœlum, audit tamen Deus homi-

nis linguam, ſi mundam habeat conſcientiam. Ab eo impetramus, vt ducem Nobis, & adiutorem adhibeat Spiritum Sanctum: Fidei aſſequimur conſeruationem, incolumitatem, pœnarum vitationem, dininum in tentationibus patrocinium, & ex Diabolo Victoriam. Vndè dicebat Saluator: *petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum*; hinc ſancta Dei Eccleſia Chriſtianorum mentes ad tàm magna commoda accipienda erigere volens, ipſum Dominum ſub Euchariſtiæ ſpeciebus latentem exponendum decreuit, vt eum ſenſibili aſpectu intuentes, non ſolùm intima cordis deuotione, ſed etiam exteriori cultu, & humilitate proſequerentur.

II. Vt igitùr in hoc inſtituto omnia ordine procedant, non aliæ Eccleſiæ, quàm illæ, in quibus Sanctiſſimum Sacramentum aſſeruatur, Expoſitionem facere poſſint. In Parochialibus ergò, & cæteris huiuſmodi Eccleſijs, in quibus eſt Tabernaculum, nunquàm, niſi ſolemni apparatu, & ornamento quàm maximo exponatur. Cerei ad minùs ſex ardeant, & paramenta, & Altaris ornamenta coloris albi adhibeantur.

III. Cùm expoſitio Euchariſtiæ erit facienda, prius à Paròcho, ſiuè Rectore dies, & hora Populo intèr Miſſarum ſolemnia indicetur, & magno Campanarum ſonitu Populus die ſtatuta conuocetur: & tunc Sanctiſſima Euchariſtia, quæ ſit Oſtenſorio argenteo, vèl ſaltèm ex auricalco inaurato cum lunula ex argento omninò, & inaurata ad hoſtiam ſuſtinendam, incluſa exponatur; & ſic in Altari perſpicuo in loco, vbi ab omnibus videri, & adorari poſſit, collocetur, & Thuribulo, tàm pòſt extractionem à Tabernaculo, quàm pòſt ipſam collocationem in ſuo loco tribus ductibus incenſetur; & attentè omnia, quæ in Rituali Romano præſcribuntur, obſeruentur.

IV. Cùm quadraginta horarum fiet Oratio, nunquàm Sacramentum ſinè aſſiſtente remaneat, ſed aùt Sacerdos cum Stola adſit, aùt duo ſaltèm Clerici, quorum alter ſit Diaconus, vèl iſtis deficientibus, duo ex Sanctiſſimi Sacramenti ſodalibus, ſucceſſiuè

uè ſemper aſſiſtant, vſquè dùm reponatur, eadem, vèl ſolemniori pompa, qua fuerit extractum.

V. Horarum ſpatia per vicos Ciuitatis recto ordine diſtribuantur; ità tamèn, vt Confraternitates numeroſæ habeant ſingulæ ſuas horas aſſignatas. Nunquàm aùtem Maſculis Fœminæ miſceantur, nec ipſis Fæminis horæ nocturno tempore aſſignentur. Si aùtem ob orandi diuturnitatem Populi frequentia diminuta eſſe videatur, Sanctiſſimum reponi, Orationeſque ſequenti mane reſumi licebit.

VI. Sanctimonialibus Eccleſiæ fores nocturno tempore apertas habere nunquàm liceat: quaprópter ſingulis diebus veſpertino tempore Sanctiſſimum claudatur in loculo, in quo (ſi libuerit) Moniales binæ, vèl ſingulæ, aſſignatis horis ex Eccleſia interiori, ſiuè ex Choro ipſum poterunt adorare.

VII. Nulla capſula, aùt linteamen pro eleemoſynis accipiendis antè Altare, aùt alibi apponatur. At ſi Eccleſiæ paupertas exigat, capſula propè fores Eccleſiæ collocetur; & id totum, quòd ab ipſa erit extractum, in Quadraginta Horarum functione debeat expendi; at ſi quid ſupereſt, ad Sanctiſſimi ornamentum, & luminaria expendatur, & nihil omninò in cuiuſuis commodum applicetur.

VIII. Et quià contingit, vt aliquandò quædam ſupplicationes tâm longa peregrinatione habeantur, vt Viris, ac Fœminis non ſine leui periculo procùl domo pernoctare neceſſe ſit, huiuſmodi ſupplicationes interdicimus, & inpoſterum eas inſtitui volumus, quæ vnius diei ſpatio terminari, & ad proprias domos fideles redire valeant. Prohibemus itèm hebdomada maiori noctu fieri ſupplicationes, quibus Mulieres interſint, ſed eas Viris dumtaxàt permittimus. Quibuſcumque aùtem ſupplicationibus habendis, volumus, & decernimus, vt Viri à Mulieribus ſeparàtim incedant, ſcilicèt vt Viri præcedant Clericos, Fęminæ aùtem ſequantur ſinè vllo Vexillo, aùt Crucifixo.

DE

DE INDVLGENTIIS.

Caput XXI.

I. INdulgentia, quæ multa ſignificat, ſcilicèt permiſſionem aliquid impunè agendi, debiti, ſeù penæ remiſſionem; vt Paulus primo ad Corinth. 7. *Hoc autem dico ſecundum Indulgentiam, idèſt condeſcendendo fragilitati veſtrę*: ad propoſitum noſtrum ſignificat remiſſionem penæ temporalis peccato debitæ per applicationem earum ſatisfáctionum, quæ in communi Eccleſiæ Theſauro continentur. Harum diſtributor principalis, & remotè eſt Chriſtus Dominus, qui hanc diſtribuendi poteſtatem Eccleſiæ ſuæ, & primùm Petro, & poſteà eius Succeſſoribus conceſſit; vndè Summus Pontifex à Theòlogis cauſa Indulgentiarum efficiens, proxima vocatur.

II. Nùnc ergò cauendum eſt, ne quod ab Eccleſia indulgentiſſima Matre ad animarum ſalutem grätis diſtribuitur, id in earum perniciem lucri cupiditate conuertatur. Idcircò omnes, & quoſcumque quæſtus, & exactiones Indulgentiarum intuitu omninò prohibemus.

III. Parochi non ſolùm ad ea præſtanda Populum adhortabuntur, quæ à Summo Pontifice pro Indulgentijs acquirendis imponuntur, ſed etiam eum ad peccatorum occaſiones remouendas, & ad vitam meliùs inpoſterum tranſigendam excitabunt; ne Theſaurus ille cęleſtis terrenis affectibus poſtponi videatur, ſi in ſuam velint perditionis viam reuerti.

IV. Nullius autem valoris declaramus omnes Indulgentias, quæ conditionem aliquam aliquid offerendi annexam habent, aùt quidquam pecuniarum dandi, etiamſi hoc ſit pro redemptione

tione Captiuorum, aùt ſub nomine Eleemoſynæ; niſi de ijs in litteris Apoſtolicis expreſſa mentio fiat.

V. Et ne prauus mos inducatur, aùt fraus aliqua excogitetur, omnibus, & ſingulis etiam Regularibus Indulgentias quaſcumque publicare, aùt exponere prohibemus; niſi prius Diplomata, aùt Bullæ à Nobis fuerint inſpectæ, & licentia de publicando conceſſa.

VI. Litteræ Pontificiæ ipſas Indulgentias conceſſas continentes omnium conſpectui, ac lectioni pateant, non tamèn illis capſula pro eleemoſynis colligendis adhæreat, ſed in loco diſtanti ſtatuatur.

VII. Prædicatores, ac Parochi Populum inſtruendo moneant, pecuniarum largitionem de eſſentia ad acquirendas Indulgentias non eſſe, ſed eas poſſe etiàm ſinè eleemoſyna acquiri, ſi cœtera in Bulla præſcripta adimpleantur.

VIII. Inuigilènt quòque, ne Fideles ſibi ſubditi vllam nugacibus verbis Quæſtorum eleemoſynarum, aliorumque hominum hìnc, & hìnc vagantium, fidem habeant, & omninò caueant, ne ab illis indulgentias, ſeù orationes impreſſas recipiant; nàm homines huiuſmodi plerùmque Oratiunculas, & Indulgentias apocriphas venditant, & lucri deteſtabilis cauſa homines credulos pietatis decipiunt.

DE

DE HORIS CANONICIS.

Caput XXII.

I. CVm ad Deum laudandúm omnis nos Scriptura prouocet, omniumque Creaturarum Natura ſuo modo Deum laudet, dùm illi obediens indictum ſibi ordinem ſeruat: vndè Pſalmiſta ait, *laudent illum Cœli, & Terra, & Mare, & omnia, quæ in eis ſunt*; omni etiàm tempore laudandum eſſe manifeſtum eſt ex illo Dauidis verſu: *ſepties in diem laudem dixi tibi* &c. Septenario enìm numero Vniuerſitas deſignatur. Hinc Sancta Dei Eccleſia omnes homines, ſed eos præcipuè, qui diuino miniſterio emancipati ſunt in Dei laudibus incumbere volens, ſeptem Horas canonicas inſtituit, vt qui ſepties in die cadimus peccando, ſepties in die reſurgamus Deum laudibus, & precibus exorando.

II. Omnes igitùr, qui diuinum Officium recitari debent, ſi ad hoc ex aliquo Beneficio teneantur, præterquàmquod culpam lethalem committunt, niſi recitationi debitæ ſatisfaciãt, etiam fructus ſuos pro rata Officij omiſſi ſe minimè facere ſciant. Quaprópter vnuſquiſque, aùt obtinens Beneficium, aùt initiatus Sacris, Breuiarium habeat ad Pij V. & Clementis VIII. præſcriptum, cui addere, vèl detrahere aliquid ſit nefas, & Horas canonicas quotidiè per ſe recitet. Qui ſecùs facere audeat, omiſſionis ſuæ pœnas ſe daturum ſciat: & qui per quindecim dies continuos Officium recitare omiſerit, conuictus de crimine, punietur pròut de iure. In ipſa Horarum recitatione vnuſquiſque habeat intentionem ſaltèm virtualem ſuæ obligationi ſatisfaciendi; nec ſufficiet mutire, aùt ſubmurmurare recitando; ſed verba diſtinctè, ac deuotè ſunt proferenda; ſi

velit ſuam obligationem adimpletam, & illam maledictionem fugere, quæ in opus Dei negligenter facientes interminatur.

III. Qui aliquam ex Beneficio Eccleſiaſtico Penſionem recipit, Officium paruum B.M.V. ſaltèm recitet, etiamſi Penſio ſit modica, vèl Apoſtolica auctoritate ab habitu clericali deferendo cenſeatur immunis.

IV. Qui in Choro pſallere tenentur, pſallendi ordinem non ad oſtentationem, & animi extollentiam inuentum fuiſſe ſciant, ſed ad Religionis cultum, & Dei gloriam: proindè caueant, ne ſibi illud eueniat, de quo Deus queritur, dicens: *Populus iſte labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*.

V. Nulla cauſa ſufficiat ad Officium in Choro prætermittendum, ſemperque horæ, ac tempora ſeruentur, quæ à Prædeceſſoribus noſtris ſtatuta fuerunt, tàm in Eccleſia Cathedrali ab Eminentiſſimo Cardinali Turriano, quàm in Collegiatis ab alijs Epiſcopis, & hoc ſub pœnis in eis contentis At vbi viget laudabilis conſuetudo recitandi B.M.V. Officium, non omittatur, ſed tantæ Matri iugi deuotioni ſeruiatur.

VI. Sicùt Eccleſia Cathedralis cæteris dignitate præcellit; ità omnibus ſplendidiori cultu anteire æquũ eſt: & ſicùt Mater eſt dignitatis; ità decet Matrem eſſe Magiſterij: Idcircò omnes, & ſinguli, qui in ea adeſſe Choro tenentur, ad Campanæ ſonitum in Sacriſtia congregati Superpelliceo, Almutzioque induti, ſi Canonici ſint, omnes ſimùl (at in Solemnitatibus bini) prodeant ad proprium quiſque ſtallum ordine petat; ibique animo, quantùm fieri poteſt, collecto, flexis genibus Orationem: *Actiones noſtras* antè Officium dicant: deindè dato ſigno à Dignitatem obtinente, vèl eo abſente ab antiquiore Canonico, Officium recitare incipiant. Qui contrarium auſus fuerit; & antè, aùt pòſt alios abſquè cauſa à Præfecto probanda exire de Choro præſumpſerit, dimidia vnius horæ diſtributione ab eodem Præfecto mulctetur.

VII. Nul-

VII. Nullus cenſeatur Reſidens, niſi Canonicali habitu interfuerit Pſalmo: *Venite exultemus* ad Matutinum: *Kyrie eleiſon* ad Miſſam: *Hymno* ad horas: *primo Pſalmo* ad Veſperas: ac niſi vſquè in finem permanſerit, & nunquam plures quàm duo, eodem tempore, quacumque de cauſa à Choro diſcedant abſquè neceſſitate.

VIII. Nemo ex Reſidentibus, cùm recitatur Officium, aùt Miſſa celebratur, priuàtim illud legat, aùt dicat, ſed omnes ſimùl Senes cum Iunioribus laudent nomen Domini: non Stallum deſerant, non colloquantur, non confabulationes miſceant, & qui contumax fuerit Reſidentiæ fructu priuetur.

IX. Tintinabulum pro Matutino incipiet pulſari circà dimidiam pòſt Solis ortum horam: pro Miſſa maiori celebranda expectetur pòſt Matutini finem ſpatium vnius horæ cum dimidio, ſi tempus erit æſtiuum. At vna tantùm hora expectetur poſt Matutinum completum, ſi tempus ſit hyemale. Pro Veſpere dicendo tempore æſtiuo hora decima nona: medio tempore vigeſima: hyemali vigeſima, & dimidia expectetur: nec vnquàm vltrà horæ dimidium Tintinabulum pulſetur. Per æſtatem volumus intelligi à die Reſurrectionis, vſquè ad feſtum S. Michaelis, quod celebratur die vigeſima nona Menſis Septembris: medium tempus, indè ad diem omnium Sanctorum: & per hyemem à die omnium Sanctorum vſquè ad Paſcha. Si verò Paſchale tempus aliquandò anticipauerit, hora veſpertina ſignificabitur ad libitum Archidiaconi vſquè ad Aſcenſionem, & poterit poſtponi per horæ dimidium pòſt præſcriptum. Hoc idem erit obſeruandum in Collegiatis, in quibus Dignitates habeant ſupradictam moderationem. Si quis aùtem prædictum ordinem inuertere, aùt alterare præſumpſerit abſquè publica, & neceſſaria cauſa in caſu aliquo particulari, ſuſpenſione à diuinis punietur: addita etiam Campanario pœna ſex librarum pro vnaquaque vice Fabricæ Eccleſiæ applicanda. Cum aùtem Nos diuinis præſumus officijs, ſi quis, poſtquàm

Nos ſedi noſtræ aſſiderimus, ſuperueniet, eo manè, vèl Veſperè ſe Reſidentiæ expertem futurum ſciat.

X. Nullus circà Officium, aliaſue diuinas res quidquàm præcipere audeat, niſi id ei ex officio incumbat. Hebdomadarius vbiquè ſingulis hebdomadis aſſignetur, qui ſolus Officium diuinum inchoare debeat ſub pœna amiſſionis diſtributionum illius horæ, in qua tranſgreſſor deliquerit: niſi fortè hebdomadarius aliquem deleget, quo caſu ad omnia ipſius munia delegatum teneri decernimus: ipſi aùtem hebdomadario prohibemus, ne vnquàm ſubſtituat alium, niſi priùs ad Chori Præfectum cauſa ſuæ abſentiæ fuerit deducta, & ab eo approbata.

XI. Præcipimus aùtem, vt horæ Canonicæ ſempèr recitentur in Choro ad hoc inſtituto, quem neque ob frigus, nequè ob calorem abſquè Noſtra permiſſione deſeri volumus: ſicùti vetamus etiàm ex quauis cauſa, Matutinum Veſpere recitari; niſi Eccleſiæ neceſſitas poſtulet, aùt ipſius ſtatuta permittant.

XII. Pòſt diem Commemorationis omnium Defunctorum in Cathedrali, & Collegiatis, Miſſam ſolemnem pro Prædeceſſoribus Noſtris, qui diem ſuum clausère, celebrari volumus; & ſequenti manè pro cuiuſque Eccleſiæ Canonicis, Manſionarijs, & Capellanis, qui ex viuis abierunt.

XIII. Cœremoniarum Magiſter inuigilare teneatur, vt in horis Matutinis; quæ tribus diebus maioris hebdomadæ ſerò recitari ſolent, fragor conſuetus omni moderatione fiat, potiuſque deuotionem, quàm inſolentiam oleat. Collocet paſsim Clericos per Eccleſiam, qui rumorem, ac tumultum ſuſcitantium audaciam coerceant, & antè debitum tempus ſtrepitum diuina Officia perturbantem prohibeant, & impediant.

XIV. Tintinabulum per dimidiæ horæ ſpatium antè diuina Officia pulſetur; & completa pulſatione, expectetur quarta pars vnius horæ antequàm Officium inchoetur, vt omnes ad pſallendum in Choro præſtò eſſe poſſint.

XV. Feſtis ſolemnioribus, & præcipuè Nobis ſolemniter

Sacra facientibus, aùt aſſiſtentibus, omnes Sacerdotes, & Clericos Cathedrali adſcriptos Miſſæ Maiori, & Veſperis intereſſe volumus. Alios verò ad idem ſeruitium præſtandum in Domino hortamur, vt ergà ſe beneuolentiam noſtram eò propenſiorem experiantur, quò diligentiorem eorum pietatem, & famulatum in diuinis miniſterijs animaduertemus. Aliòquin contumaces de quotidianis diſtributionibus participantes vnius libræ ſubtractione, quotieſcùmque abſquè legitima cauſa, & licentia abſuerint, plectentur.

XVI. In Eccleſijs aùtem Collegiatis, & Parochialibus idem ſeruitium diebus feſtis præſtent omnes Sacerdotes, & Clerici etiàm non Beneficiati, qui ijſdem Eccleſijs ſunt adſcripti, ſub pœna amiſſionis cuiuſcumque emolumenti, quod ex funeribus, aùt quacumque alia Eccleſiaſtica ſtipe ad eos ſpectare poſſet.

De Officialibus Chori, & Muſica.

Caput XXIII.

1. ECcleſia; quæ à Salomone in Canticis ſub Sponſæ nomine ſignificatur, vt caſtrorum acies ordinata, procedere dicitur; nec ſinè cauſa hęc adhibita eſt comparatio: nàm ſicuti exercitui benè agminibus diſpoſito, & ad pugnam directo, irruentes hoſtes proſternere facilè eſt; ità militans Eccleſia ſi in ſua Hierarchia fortitèr conſiſtat, terribilis, inuincibiliſque pugnabit. Hunc cùm in omnibus Eccleſijs, tùm maximè in Cathedrali, quæ aliarum Eccleſiarum Caput eſt, ordinem ſeruari decet; ideòque, quicumque obtinet in ea munus aliquod, aùt dignitati, aùt ordini adiunctum, ſtudeat illud quàm maxima poteſt diligen-

tia

tia exercere, vt ſua cuiuſque ſollicitudo omnibus ſatisfacere videatur.

II. Intèr Chori Officiales priorem locum, & nomen habeat Pręfectus, qui in omnibus vigilet, & omnia prudenter, & diligentèr circumſpiciat. Volumus aùtem in Cathedrali hoc munus ab Archidiacono, qui oculus Epiſcopi vocatur exerceri; in Collegiatis aùtem ab illis, qui obtinent Dignitates. Si verò abſentes inueniantur, antiquior Canonicus, qui præſens fuerit ſubſtitutus intelligatur. Præfectus ergò ſedulam dabit operam, vt cœteri omnes ſuis ſint in miniſterijs diligentes, nulluſque Præfecti officium ſibi arrogare, neque in ijs, quæ ad Præfectum ſpectat ſe immiſcere præſumat, ſub pœna amiſſionis illius horę, quę tùnc cantabitur, aùt de proximo fuerit cantanda.

III. Pręfectus ipſe diligenter prouideat, vt Paramenta, Vaſaque ſacris functionibus neceſſaria non deſint: vt Clerici ſeruitium Eccleſię non prætermittant: vt omnia prompta, parataque habeantur: vt in Choro ſilentium ſeruetur, Pſalmique cum debitis punctis, ac pauſis recitentur, lectioneſque diſtinctè, & clarè legantur: & ſi aliqua in re, vèl fragilitate, vèl in curia aliquis fuerit tranſgreſſus graui quidèm, ſed placida correctione reprehendatur; prǫsèrtim verò omnibus ſe affabilem præbeat, vt amore potiùs quàm rigore eos ſibi obedientes reddat. Sin nihilominus pertinacem aliquem, & mandata recuſantem inuenerit, eum deferat Punctatori, vt intèr abſentes numeretur, ſi de participantibus fuerit; ſin minùs pro delicto puniendum Nobis ſignificet.

IV. Insùper curet Præfectus, vt dùm in Choro Officium recitetur, nullus abeat, nullus litteras, vel alia quęcumque legat, ſeù peruoluat: nec iocos aùt fabulas miſceat: ne à ſtallo, niſi de neceſſitate diſcedat, dormientes excitet, vagantes reducat, omnes in Dei ſeruitio contineat, ſingulis exemplo, verbis, & opere præbeat documenta. Admonemus aùtem eos omnes,

quì rebus antedictis contrauenerint ; diſtributionem totìes quotìes amittere, nec eas ſuas facere ſciant.

V. Qui Punctatoris officio fungitur, nulli tranſgredienti pareat, niſi ipſi dupli pœna mulctari gaudeat. Ideòque Punctorum librum occultè cuſtodiat, ne fraus aliqua fiat: cui libro nullus, Punctatore renuente, manum admoueat, & vt ſuo ex iuſtitia fungatur officio, ſemper diuinis aſſiſtat.

VI. Maſſarius Fabricę, & Theſaurarius Capituli, aùt alio quouis nomine nuncupatus Capituli Æconomiam exercens, onera non reſpuat, labores libenti animo ſuſcipiat, & ſi quis fuerit contumax, eum grauibus pœnis corrigendum decernimus.

VII. Tempore, quo diuina Officia celebrantur, Clerici per vias, & compita ne diuagentur, ſed diuino ſeruitio in Eccleſia, cui ſunt adſcripti vacent, & hęc omnibus diſtrictè pręcipimus: Si qui verò renuerint, aùt hoc facere neglexerint, ſpem ad maiores Ordines aſcendendi deponant. Et quia volumus omnes Clericos Fidem à Capitulo habere de pręſtita Eccleſiæ ſeruitute, videant Canonici, ne in ſuffragijs ferendis aliorum ſubleuandorum cauſa propriam onerent Conſcientiam, res enìm grauiſſima contemni videtur, cùm ſacris miniſterijs negligens, ac immeritus emancipatur. Ideò atteſtationes huiuſmodi non pluribus Clericis ſimùl, ſed ſingulis ſeparatìm fieri mandamus, & hoc per vota ſecreta: aliquandò enìm non ſinè animi noſtri mœrore, & acerbitate, comperimus indignos dignis conſociatos, gratię, quam minimè promeriti fuerunt, compotes factos fuiſſe. Ideòque, vt hoc abſurdum euitetur, quiſque Clericorum habeat ſuam fidem ſpeciali ſuffragatione factam.

VIII. Hebdomadarius, cui Miſſam cantandi onus incumbit, ſaltèm diebus feſtis ſuum exequatur per ſe officium, nec alium ſubſtituat; hoc idem in Veſperis Pluuiali indùtus ipſe per ſe exequatur.

IX. Magiſter Cœremoniarum, qui aliorum Doctor, & ductor

ctor eſſe debet, & ſinè quo omnis Dei cultus exterior claudicat, magis cœteris ſe vigilantem, & aſſiduum præbere debet. Huic ăgitùr mandamus, vt ritus omnes, ac ordines, qui in Cœremoniali Romano Pauli V. deſcribuntur, antè cognoſcat, ne cùm opus fuerit eis vti, cum rubore, ac dedecore confundatur. Obſeruet ipſe, an paramenta, vaſa, & omnia ad functionem ſpectantia proprijs ſint locis, ac tempore opportuno accommodata, nec alijs fidat, præsèrtim cum Nos Pontificalia exercere debebimus; huius nutui omnes obtemperare, ſinè vlla mora parati ſint, cui etiàm Nos ipſi obedientiam ſpondemus. Præfectus aùtem Clericos contumaces, & Magiſtro minimè parere volentes, corripiat, ac puniat: relapſos aùtem poſtquàm tertia vice monuerit, Habitu clericali publicè exuat, & ab Eccleſia repellat. Quod ſi Præfecti ſocordia, & incuria aliquid erroris acciderit, ipſum Nos acritèr corrigemus.

X. Sacriſta, ſeù Cuſtos, cui Paramentorum Cura demandata eſt, ſe in ijs ſeruandis, & à tinea, & à puluere tuendis, ſolertem præbeat. Veſtes complicatas, ac benè ordinatas conſeruet, ne cùm eis vti opus fuerit, diutiùs hic, aùt illic inquirantur, & ex longa inquiſitione Officia indecorè protrahantur. Laceras veſtes ſarciendas curet, ſordidas eluendas, vaſa nitida, & pura conſeruet; armaria ſerris munita, clauibus ſignata cuſtodiat, omnia deniquè impleat, quæ ad diligentem Miniſtrum ſpectant, luminaria obſeruet, ne plùs, aùt minùs æquo colluceant; altero nàmque modo Eccleſiæ prouentus teruntur, altero Dei cultus deturpatur.

XI. Beneficiati omnes, Presbyteri, & Clerici qui Nobis præſentibus prætereunt, ſiuè obuiam fiunt, genua flectant. Ab hoc autèm Dignitates, & Canonicos excipimus, quibus caput profundè inclinare fuerit ſatis, cum benedictionem Noſtram impertiemus iuxtà laudabilem conſuetudinem.

XII. Illud autèm eſt aduertendum, ne Muſica, quæ ad Fidelium deuotionem accendendam, & ſacros Ritus decorandos in

Eccleſiam fuit introducta, ad profanos, & reprobos vſus torqueatur. Prohibemus prętereà tàm pulſantibus Organa & alia inſtrumenta, quàm Cantoribus, ne in Eccleſia Cathedrali, & alijs cantilenas, & modulationes, quæ ſęcularem vanitatem ſapiunt, exercere præſumant, nec alio idiomate, quàm latino canant; nàm ſicùt in Dei honorem dulciſonos edere modulos puritatem, & modeſtiam ſapientes in ſolemnitatibus laudabile eſt; ità ſacris profana miſcere, non caret opprobrio. Caueant ergo à laſciuis cantionibus, & affectatos vocum circuitus abijciant, ne dùm ad Populi plauſum blanda vox quæritur, plebs ab honeſtate vitæ alienetur, & dùm hominum aures demulcere ſtudent, Deum ad indignationem, & iram prouocent.

De Diſtributionibus quotidianis, ſeù Canonicis.

Caput XXIV.

I. Canon, vndè Canonicorum nomen deductum eſt, cùm nihil aliud quàm regulam, atquè ordinem rerum ſignificet, ex ipſo nomine, quomodo in Eccleſià Dei ſe gerere debeant, Canonici præcepta deſumere poſſunt: vt ſcilicet nihil inordinatum, nihil præpoſterum faciant, quod ab ipſo Canonicali inſtituto recedat; ſed omnia recta cum ratione, & pondere dimetiantur; ſic enim factis adimplebunt, quod nomine præſegerunt.

II. Omnes ergò Canonici, tàm Cathedralis, quàm Collegiatarum Eccleſiarum dent operam, vt quos nomine, ac honore præcellunt, eis etiam diſciplina, atque obſeruantia præeant: imprimiſque charitati inuigilent, dilectioni inuicèm ſtudeant,

nec riſus,nec iurgia, nec ſimultates foueant, ac nutriant: Deus enim per Prophetam ſic proteſtatur: *Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo.*

III. Canonicorum cœtui nullus admitti debet,cui deſit ſufficiens habilitas, ætas, & cætera neceſſaria ad ordinem, qui Canonicatui eſt forsàn annexus infrà annum ſuſcipiendum, & donèc ad ordinem requiſitum promotus fuerit, actiua voce in Capitulo priuatus exiſtat. Si verò Animarum cura Dignitati, vel Canonicatui adiuncta ſit, nullus eligatur ad talem Dignitatem, & Canonicatum, qui viginti, & quinque annorum numerum non attingat; forma ſeruata Sacrorum Canonum, & Sacroſancti Tridentini Concilij. Ad Manſionarias eligendi vltrà requiſita de iure, & ex earum inſtitutione in noſtra Cathedrali nominari non valeant, niſi priùs habuerint Fidem iuratam Perſonæ deputandæ à Capitulo peritiæ cantus Eccleſiaſtici; & ſi ſecùs factum fuerit, omnia irrita, & nulla eſſe intelligantur.

IV. Quiuis in Canonicatum, ſeù Dignitatem in Noſtra Cathedrali aſſumptus, publicam Fidei Orthodoxæ Profeſſionem intrà bimeſtre coràm Nobis, & Capitulo emittere debeat, ſub pœna fructuum amittendorum, vt in titulo de Fidei profeſſione ſtatuimus: nulla poſſeſſione quantumuis pacifica cuiuis ſuffragatura.

V. Omnes in Choro alternis vocibus pſallant, aliàs pro abſentibus habeantur. Nobis verò Pontificalia exercentibus, diuiniſque aſſiſtentibus, ſeù miniſtrantibus bini Canonici cum Archidiacono aſſiſtant, & cœteri omnes intèr Miſſarum ſolemnia ad circula accedant, non præproperè, non confusè, ſed debito ordine, ac tempore: & cùm ad ſuam redeunt ſedem, demiſſo capite benedictionem accipiant, omniaque à Ceremoniali præſcripta adamùſſim adimpleant.

VI. Canonicus, qui ad Præbendam Theologalem aſſumptus eſt, ſuo per ſe fungatur officio, cui cum opera dabit, eo die intèr

Re-

Reſidentes habeatur, etiàmſi Choro non aſſiſtat. Presbyteros, Clericoſque omnes lectioni volumus intereſſe; alioquin negligentes arbitrio Noſtro puniemus, ſicuti enim artifices, & qui fabrilia exercent, de rebus ad ſe ſpectantibus diſſerunt; ità Eccleſiaſtici, qui tantæ difficultatis opus pre manibus habent, inceſsànter de ſuo miniſterio diſſerere, vèl diſſerentes audire debent.

VII. Cùm Capitulum congregatur, omnes Canonicali habitu interſint, ibique nihil ſtatuatur, quod non ſit conſonum Sacris Canonibus, & Concilijs præsertim Tridentino; aùt quod ſit Prouincialibus, aùt Synodalibus contrarium. Congregato Capitulo, nulla quæuis actio inchoetur, niſi facta prius Spiritus Sancti inuocatione, vt initium ab eo ſumatur, qui vniuerſorum finis eſt, & principium: nec vſquàm niſi in Sacriſtia conuocetur, & nunquam die feſto, nec cùm Miſſa, vel Officium in Choro recitatur, niſi grauis neceſſitas, quæ dilationem non patiatur, vrgeat; & qui adeſſe recuſauerint abſque legitima cauſa, mulcta diurnæ diſtributionis puniatur; & inſùper cùm ità acciderit, à Capituli Cancellario Nos certiores fieri mandamus. Præcipimus inſùper, vt quęcumque fuerint propoſita, omnia ſecretis ſuffragijs mandentur, & nihil pro ſtatuto habeatur, niſi ea, quæ à maiori parte ſuffragiorum fuerint deciſa.

VIII. Cùm res alicuius ex Canonicis in Capitulo tractabitur, ipſe, cuius intereſt, vnà cum eiuſdem Conſanguineis, ſeù affinibus vſque ad quartum gradum incluſiuè exire debeat. Hoc idem erit obſeruandum, quòties de coniunctis eiſdem in eodem gradu tractabitur. Hortamur aùtem eos omnes, vt quàm maximè fieri poteſt ſint ſimùl concordes, & de nulla re magis quàm de ea, quæ in Capitulo propoſita fuerit, ſilentium adhibeant. Quiſque in loco ad ſe ſpectante ſedeat, & alienum ne occupare præſumat; ordinatè vnus poſt alium loquatur; nemo interrumpat dicentem; opiniones quiſque ſuas abſque li-

uore proponat, & à ſuo cœtu ſtrepitus arceantur; iuſtorum enim natio obedientia eſt, & dilectio.

IX. Quia verò decet vnumquemque, non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti quærere; nulli de Capitulo liceat, neque per ſe, neque per interpoſitam perſonam vectigalia, prædiaue conducere, & hoc ſub pœna nullitatis, vt auaritiæ fomes pœnitùs aboleatur. Sit etiàm nefas propalare ea, quæ ſic acta, aùt dicta in Capitulo fuere, vt ſecreta haberentur.

X. Scripturæ Capituli ab ipſius Cancellario publicis documentis conſignentur in Archiuio, perpetuò conſeruandis, eiuſque claues à Deputato, ſeù Deputatis à Capitulo teneantur: & in illo acta quæcumque, ſtatuta, cataſtica Canonicatuum ſingulorum; inuentaria cum terrarum, ac iurium recentioribus terminis, ſiuè confinibus; omnes denique Scripturæ diligenter, & ordinatè cuſtodiantur, & insùper quæcumque à quouis priuàtim hactènus detenta fuerunt, cuſtodienda reſtituantur, nec ab Archiuio aliquid, niſi de Capituli conſenſu, extrahi poſſit.

XI. Qui quotidianas diſtributiones participant, in Sacramentis ex officio adminiſtrandis ipſas non amittant: videant tàmen ne hac de cauſa malitiosè occaſionem captent ſe à Choro ſubtrahendi, eo maximè tempore, quo ipſas lucrari debent.

XII. Nemo vltrà tres menſes (exceptis tàmen illis Eccleſijs, quæ longiorem Reſidentiam ex proprio Statuto, vel conſuetudine requirunt) à propria Cathedrali, vel Collegiata ſit abſens, nec abſentia ſumatur Tempore Aduentus, Quadrageſimæ, Natiuitatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti; aliàs, non ſolùm diſtributione, ſed etiàm parte fructuum Præbendæ ſuæ inter præſentes diuidenda iuxtà Sacras Canonum Conſtitutiones, prima vice priuabitur: ſecunda vice omni Præbendę prouentu mulctabitur: & ſi adhuc contumacem ſę geret, maiori etiàm cenſura, iuxtà eoſdem ſacros Canones, ſeueriùs in eum procedemus.

XIII. Et

242

XIII. Et quia non rarò contingit ex Canonicis plures dimidia parte abeſſe; ideò pręcipimus, vt nemo ab Eccleſia vltra hebdomadam abeſſe valeat, niſi priùs Archidiaconum in Cathedrali, Dignitatem in Collegiatis, vel antiquiores Canonicos, eorum vicem gerentes, fecerit de profectione certiores, & hoc ne debito Eccleſia defraudetur obſequio. Negligentes autem totidem dies ſinè diſtributione ſeruiant, quot ab Eccleſia ipſa abfuerunt.

XIV. Deniquè (ne quidquam pro noſtris viribus decernendum omittamus) præcipimus, ac iubemus, vt officia temporalia Capituli ab ipſo diſtribuantur die prima Menſis Maij quolibet anno, Capitulo ad hoc ſpecialiter congregato, in quo etiàm officiales omnes, & ſeruientes Capitulo, & Eccleſiæ, ad ſecreta vota mittantur, eaque officia nemo recuſare audeat ſub pœna amiſſionis diſtributionum per Menſem. Itèm vt paramenta pretioſiora Eccleſiæ à ſolis Canonicis adhibeantur, & hoc dùm in ſolemnitatibus Miſſam maiorem celebrant.

De publicis ſupplicationibus.

Caput XXV.

I. C*Anite tuba in Syon, ſanctificate ieiunium, congregate Populum* &c. ſic Ioel Propheta ad Populum Iſraël clamabat, vt eum ad peccatorum pœnitentiam reduceret; ſed neque ad alium finem Sancta Dei Eccleſia publicas inſtituit ſupplicationes, quàm, vt, Populum Chriſtianum, qui per vias non bonas, & poſt peccata ſua ambulauit, ad Deum ſuum reducat, atquè per ſemitam mandatorum eius incedat. Maxima ergò animi humilitate, & cordis ſciſſione Supplicationes perfici debent, vt peccatorum valeamus indulgentiam impetrare:

rę:

re: & dùm Sacerdotes ad Deum pro Populo preces effundunt; ipſe Populus gemitibus inenarrabilibus offerat Cor pœnitens in odorem ſuauitatis.

II. Dum ergò Supplicationes ad Deum eleuantur, omnis pròcul abſit ſtrepitus, omnis tumultus; nihil non Pietatem, & Religionem redoleat; non contentiones de præcedentia inturgeant, non pectora inflentur ambitione, ſed qui maior eſt, fiat ſicut minor, & qui Præceſſor eſt, tanquàm miniſtrator.

III. Ad publicas Proceſſiones à Parocho Populus admoneatur, & inuitetur, vt tàm Religioſa actio eorum interuentu, & precibus adiuuetur; dieſquè, & hora cum Indulgentijs (ſi quæ fuerint) per Parochos præcedenti feſto volumus publicari, vt frequentiſſimo Populorum conuentu, & ſolemni celebretur tàm pium opus cœremonia.

IV. Quia verò ad opera Religionis, & deuotionis plena ij propenſiores, ac promptiores eſſe debent, qui magis ſe ipſos Deo deuouerunt; idcircò nemo Clericorum etiam in locis exemptorum degentium, ſe à Proceſſionibus ſubtrahat: ſed omnes Veſte talari, ac Superpelliceo candido induti aſſiſtant; nulluſque cum pallio, & intèr laicos ſub pœnis arbitrio Noſtro videri patiatur. Quod etiam de Rogationibus, quæ ſub generali nomine Proceſſionum veniunt, intelligimus Laicorum etiam Sodalitates, ſiuè Scholæ habitu cuique conuenienti intereſſe debeant. Regulares cuiuſcumque Ordinis vocati adeſſe non renuant ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis; qui omnes Eccleſiam, à qua ſupplicationis initium erit ſumendum (quam in Ciuitate Cathedralem, in Oppidis Collegiatam, in Villis Parochialem ſtatuimus) præoccupato tempore, conueniant, ibique ſinguli cum ſuis commorantes, initium Supplicationis attendant. Regularium quot erunt ordines, totidem habeant Cruces. Confraternitatibus autem ſufficiet, ſi Vexillum cum Sancti Protectoris earum Imagine præferre curauerint, Cruciferi,

vbi

vbi Clericorum eſt copia, ſint Clerici, & non ſæculares, & Veſtem talarem cum Cotta ſuperinduta habeant, omnique modeſtia, grauique inceſſu, nec vagantibus oculis, ſed potiùs Sanctiſſimæ Crucis myſteria contemplantes, progrediantur.

V. Publicum Proceſſionis munus, ſinè Parochorum licentia, Regulares facere nòn poſſint, præterquam intrà clauſtra ſuę Eccleſiæ ſi clauſtra habeant, ſi verò non; iuxtà ambitum dictæ ſuę Eccleſiæ.

VI. Populus ſupplicitèr, ac piè Sacerdotes ſubſequatur; & nullo modo Laici cum Eccleſiaſticis coniungantur; Fœminæ itèm humilitate, ac deuotione cœtum Hominum ſubſequentes, nullo modo cum ipſis miſceantur, & ſemper velato capite in Eccleſijs, & Proceſſionibus adſint, cuius rei attenta ſit Parochorum cura. Interìm autèm dùm ſit Proceſſio, Campanæ ſonent, ac hilari ſtrepitu comitentur euntem, ac redeuntem excipiant.

VII. Nullus, dùm Proceſſionis cœremonia ſolemnizatur, Miſſam in ea Eccleſia celebret; nemo collòquatur; nemo negotia tractet; nemo ſpectator inſiſtat; nemo derideat; ſed omnes à Deo veniam, & gratiam, omni conatu impetrare, contendant. Curent Parochi, ne intèr ſacras Supplicationes cibi, & potus afferantur ad comedendum, aùt bibendum; & hoc omnibus diſtrictè prohibemus, mandantes, vt potius longi euitentur circuitus, & iter minuatur; ne poſt potum, & commeſſationem rixæ exoriantur, & ſcandala: non enim debet eſſe poculis locus in Oratione, nequè ſaturitas ventris in ſacco, & pœnitentia.

VIII. Vbiquè Eccleſiarum, in quibus Sanctiſſimi Sacramenti, ac Roſarij Sodalitates inſtitutæ ſunt, ſingulis primis, ac tertijs Dominicis menſium quorumcumque Proceſſio habeatur, & in ea Populus de Indulgentijs, quæ in ea acquiruntur,

tur, per Parochum commoneatur, vt paratior, ac frequentior ad eas acquirendas concurrat.

IX. Per Octauam Corporis Christi poterit breuis quotidiè Proceſſio fieri in omnibus Parochijs: at in ipſo ſaltèm die Octauæ magna omnino habeatur. Nunquàm tamèn poſt prandium, niſi rationabili cauſa ſuadente, publica fiat ſupplicatio, maximè cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

X. Cùm Supplicationes quædam tàm longa peregrinatione conſueſcant haberi, vt viris, & fœminis procùl domo pernoctare, non ſinè graui nequitiæ periculo, neceſſe ſit; idcircò, ne eos periclitari ſinamus, ſupplicationes haſce interdicimus, & inpoſtèrum eas, quæ diurnæ lucis ſpatio terminari, & fideles ad proprias ædes redire valeant, inſtitui volumus, & ijſdem de cauſis in hebdomada maiori prohibemus noctu haberi ſupplicationes, quibus mulieres interſint, quas tamèn viris dumtàxat permittimus.

XI. Deferendi Proceſſionalitèr Sanctiſſimum Sacramentum feria ſexta maioris hebdomadæ abuſus fuit abrogatus à Sacra Congregatione Epiſcoporum, tanquàm alienus à vero ſenſu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; ideòque, ſi alicubi adhùc viget, tollatur, & Parochis, alijſque omnibus præſenti Decreto, ſub pœnis ad arbitrium, eius obſeruationem præcipimus.

(✠)

De Funeribus, & Exequijs.

Caput XXVI.

I. Mvnus cadauera ſepelliendi apud omnes ſemper Religioſum habitum fuit, & apud Ethnicos, vt maiori fieret pompa, Prçficas conducere mos erat, quæ mortui hominis cadauer ploratu, ac lacrymis in funere comitarentur: hoc tàmen factum fuit ea de cauſa, vt mundana gloria, & fama inter homines vigeret; non vt aliquid adiumenti anima Defuncti reciperet. In Eccleſijs aùtem Christianorum non ità; nàm fœminarum eiulatus, faces, aùt thura fumantia nihil prodeſſe cognoſcuntur; ſed tantùm animus in Deum eleuatus, comitantium preces, & fidelium corda, orationum Thymiamate accenſa, Defunctorum animabus prodeſſe cenſentur.

II. Ideò vt potius expiandę animę, quàm cadaueri humando ſalubritèr proſpiciatur, Parochi officium erit nùper Defuncto, aùt Pſalmo De profundis, aùt alijs Orationibus ad Defunctos ſpectantibus, genu ad altare deflexo, ſuffragari; vt ex eius Oratione à pio, & feruenti corde emanata, poſſit Defunctus cognoſcere diem mortis, Natiuitatis die ſibi eſſe meliorem. Indè ad funus peragendum conuertat animum, in quo priùs cum Propinquis omnibus, quid ſit agendum, decernat; poſteà, loci conſuetudine obſeruata, eos accerſat, quos, & quot ipſi Propinqui mandauerint accerſendos: quibus non reluctantibus poterit Parochus eos, quos ſui muneris ſocios, ac miniſtros habuerit inuitare.

III. Sacerdotes, & Clericos niſi de illorum voluntate non inuitet: & ſi aliqui Sacerdotes, ſeù Clerici non vocati nihilo-

minùs ire voluerint, nullam obtineant eleemoſynam. Quòd ſi Propinqui Sacerdotes vocauerint, non poſſint Clerici eorum loco intereſſe, & è contra Sacerdotes, Clericis contingentes eleemoſynas, etiàm ſpontè oblatas, nullo modo accipere poſſint.

IV. Et quia Auaritia omnium malorum eſt radix, nemo ità ab ea impellatur, vt pro Exequijs, Sepultura, aùt Anniuerſario aliquid paciſci velit, hoc enim, cùm Simoniaca labe non careat, omninò prohibemus; nequè perfectæ Virtutis habendus eſt ille, qui ad memorias vendendas mortuorum proptèr auiditatem adducitur. Ephron ille, qui Abraham agrum vendidit ad Sacram ſepelliendam, & ſi inuitus pecuniam accepit, tàmen à ſacris Scriptoribus improbatur.

V. Si quis aùtem charitatem Chriſtianam adeò exuerit, vt cùm impenſas Propinquo ſuo præſtare pro funere valeat, eas tamèn negare non erubeſcat, rem tàm inhumanam Nobis deferri volumus, vt ſuprà ea re, quod magis videbitur expedire per Nos decernatur. Si verò id facere omiſerit, inopia impeditus, tùnc Religioſam Parochi pietatem, ad opus tàm pium adimplendum, ſuis, vel Eccleſiæ ſumptibus adhortamur.

VI. Nullus nequè Sacerdos, nequè Clericus, inconſulto Parocho, humandis cadaueribus ſe implicet. Si quis aùtem, inſcio Parocho, funera ducere, corpora humare, anniuerſária ſtabilire præſumpſerit; ſi Sacerdos fuerit, ſit ſuſpenſus; ſi Clericus ſpem ad altiorem gradum aſcendendi, abſolutè deponat.

VII. Defuncti Conſanguineos, & alios ad eum attinentes admoneat Parochus, ne antè Solis ortum, aùt poſt eius occaſum, cœremonia fiat exequiarum; aliàs ex noſtro Decreto; allato cadaueri, Eccleſiæ ingreſſum ſe negaturum proteſtetur, & de facto ſi caſus accidat introduci prohibeat.

VIII. Sacerdotes, omneſque Clerici, qui fuerint ad funus inuitati Eccleſiam adeant Parochialem, & indè cuncti, omneſque

que talari Veſte , & Cotta induti ad locum, vbi cadauer fuerit repoſitum , ſimùl ſe conferant. Regulares etiam, ſi vocati fuerint, à ſuis Monaſterijs ad locum cadaueris vnà ire poterunt; quiſque ſui Ordinis Crucem ſecutus; quod etiam in ipſius funeris actu, niſi aliud loci conſuetudo perſuaſerit, obſeruabunt.

IX. Stratum prò feretro operiendo impenſis Eccleſiæ comparatum gratis, tribulibus omnibus poſtulantibus, commodetur: caueaturque, nè Altarium pallia, aùt alia ſacra paramenta ad exequiarum ornamentum exhibeantur, ne dùm corpus inanime honoratur, Dei viuentis Altaria polluantur. Ab ijs etiam, quæ inanem gloriam præſeferunt, abſtineant, ideòque nec Defuncti manus, aùt caput, feretrumque quouis modo decorentur, niſi Doctoratus, Equitatus, aùt alterius tituli, ſeù Dignitatis inſignibus fuerit ornatus.

X. Candelæ, ſeù Cerei Sacerdotum, & Clericorum manibus exhibitæ, ſemper teneantur accenſæ, tàm progrediendo, quàm exequias celebrando, ne quod mortuorum fidei, quæ animæ lumen eſt, oſtendendæ adhibetur, id ſordidam viuentium auiditatem demonſtret, aùt ne, dùm lumen extinguitur ſuppreſſio appareat charitatis. Hoc idem obſeruent Canonici, omneſque quantæcumque ſint dignitatis, quibus præ cęteris lucernas ardentes in manibus habere conuenit.

XI. Grauitèr, ac religiosè officium, & exequię celebrentur, non feſtinanter, & inconditè. Intorticia ne extinguantur, & ea omnia, quę fieri ſolent, à Parocho non omittantur. Nemo non deuotus aſſiſtat; Nemo non abſolutis exequijs abeat; eleemoſynę non in propatulo, non tumultuariè diuidantur, Veſtes Defuncto detractę, quibus competunt, reſtituantur; ne id verificetur, quod à Sæcularibus muſſitari ſolet: Presbyteros oues viuas deglube e, mortuas deuorare.

XII. Qui alteri munus ſuum delegauerit, qui cadaueris elationi non interfuerit, qui antè completam functionem diſceſſe-

rit, qui Superpelliceum non induerit; qui non Beneficiatus Eccleſiæ duobus antè proximis Feſtis, maiori Eccleſiæ illius loci intèr Miſſarum ſolemnia non inſeruierit, vt commodi, atq; incommodi in eodem par ſit conditio, omni careat emolumento, ac quamquàm vocatus omnis eleemoſynę ſit expers,& ſi quidquàm receperit, ad omnium reſtitutionem teneatur; qui enìm Eccleſiæ non ſeruit,Eccleſię emolumenta habere non debet.

XIII. Cùm cadauer in Sæcularium, aùt Monialium Eccleſia erit deponendum,Sacerdos eiuſdem Eccleſię faciat Officium; ſi tàmen ſit eiuſdem Præfectus. Simili modo Regulares, cùm in eorum Eccleſia cadauer ſepeliri contigerit. Nunquàm aùtem Sacerdos quidquàm, quod ſit prætèr ordinem Ritualis Romani ſpontè facere audeat, non terram fodere, non effoſſam corpori inijcere,non Cruce benedicere,aùt ſignare;hæc enìm omnia ſub pœna Suspenſionis fieri vetamus. Prohibemus itèm Mulieres eiulantes,ſiuè Pręficas conducere,vt Cadauera lacrymis, & clamoribus comitentur, cùm hoc facere Gentilitatis fatuitatem ſapiat. Hoc aùtem vanitatis genus, ſi ab aliquibus adhiberi Parochis compertum fuerit, amoueri iubeant, alitèrque funus efferri non patiantur;multòque minùs ſaltationes,ludos,riſusuè, luctus tempore fieri permittant.

XIV. Cadauer nunquàm ad ſepeliendum deducatur, antequàm hora duodecima ab Animæ exitu fuerit completa. Si verò Mors fuerit repentina, vſquè ad vigeſimam quartam differatur humatio: diutiùs aùtem tempus protrahere, nefas eſſe ducimus.

XV. Sacerdotes Sęcularem, aùt inferioris ordinis Clericum nequàquam humandum deferant; ſed Sacerdotes Sacerdotem, Clerici Clericum, Sęculares Laicum baiulent, & in omnibus attentè Pauli V. Rituale Romanum obſeruetur.

DE

De Sepulturis, ac Cœmeterijs.

Caput XXVII.

I. ÆGypti Reges, & ſuperſtitione, & ſuperbia tumidi putre corpus, & verminum eſcam, Pyramidibus cum Cœli ſublimitate pugnantibus, ſuperimponi curabant, vt velùt inter ſydera eſſet cadauer, cuius anima in inferno iaceret. Terrenos faſtus quærere æterna negligere, glorioſum habebant. Quod vtinàm inter Chriſtianos tumida non inueniret ambitio; qui dùm lapidum ſtructura, & ſecto marmore corpus ſublimant, forſitàn animam demergunt; & dùm ſepulcra vermibus ædificant, æternales Pyras animę accendunt. Hoc ægrè ferens Pius V. Pontif. Max., inanem hunc, & futilem apparatum omninò prohibuit: Eique Nos ſimilitèr inherentes, Sepulcra omnia, & cadauerum conditoria vetamus, quæ ſint à ſolo eleuata.

II. Parochis, vèl alijs Eccleſiæ Superioribus, & Nobis etiam inconſultis, Sepulcra fieri vetamus. Habita verò licentia, tùnc ſubtus terram effodiantur, vt matris antiquæ in gremio corpus reponatur, vt ibi iaceat, vſquè dum ad vitam Tuba cęleſti canente, reuocetur. Diſponantur aùtem eo meliori, quo poſſunt, ordine; Solo æquentur; & extrà Tribunę fines ſtatuantur.

III. Epitaphia, Inſcriptiones, & id genus cętera, antequàm incidantur, Nobis inſpicienda tradi volumus. In ijs aùtem componendis inſulſa, ludrica, mendacia, quibus interdum malè merentes decorantur, Deuſque his Nęnijs ad iram prouocatur, omitti iubemus, & ſi quæ fuerint à Nobis indigna iudicata, apponi prorsùs prohibemus.

IV. Super tumulos ne fiant Cruces, aùt Imagines Sacræ: nihil à terra promineat: nihil non honeſtum appareat. In-

tùs

tùs autèm ſint muro circumdati, aùt ſaltèm inuicem ſeparati.

V. Cœmeteria, Eccleſijs contigua, vndequàque muro circumdari mandamus. Excipimus tàmen ea, quæ ex loci natura ità ſunt munita, vt animalia non facile illùc irrumpere valeant. Sint pro cuiuſque Parochiæ magnitudine capacia. Crux lapidea, aùt ferrea Columnæ impoſita perſpicuo in loco erigatur; & crates ferrea, ad animalium ingreſſum arcendum, in vnoquoque Cœmeterij aditu apponatur: ſi verò Cœmeterium Eccleſiæ non cohæreat, clauſum perpetuò cuſtodiatur: ſit oſtium clauibus, peſſuliſque munitum; nec vnquàm, niſi cum neceſſitas exegerit, aperiatur.

VI. Nemo prçtereà illecebris, aùt pactis aliquem, ad eligendam aliquo in loco ſepulturam pelliceat, aùt electam commutare conſtringat. Statuimuſque nullum, alia in Eccleſia, quàm in ea, quç prima electa fuerit, ſepulturæ mandari, & nullatenùs in alia. Qui ſecùs facere auſus fuerit, ad reſtitutionem non ſolùm cadaueris, ſed omnium etiàm, ratione funeris perceptorum, omninò teneatur.

VII. Extrà Cœmeterij fines eijciantur ſaxa, cæmenta, maceriesque, niſi ab alio loco ſacrò ad illud fuerint deportata. Arbores etiam fruges, olera recidantur; & herbæ ſic reciſæ (vt in titulo de Eccleſiarum reuerentia explicauimus) comburantur. Ibi non ſaltationes, non ludi, non ſæcularia quælibet exerceantur: ſed nec linea ſupellex, vt paſſim fieri contingit, ſternatur, aùt collocetur ſole ſiccanda. Vnuſquiſque aùtem illàc pertranſiens, caducitatis humanæ memor finem ſuum, & imperſcrutabile moriendi tempus, in ibi ſepultis contempletur; animumque ab humana mortalitate, & prçſentis vitæ fluxu, vbi eſt vniuerſa vanitas omnis homo viuens, ad perpetuam vel beatitudinem, vel gehenam conuertens, æterna caducis, ſumma imis, diuina humanis prçponere diſcat.

De Eccleſijs, & Altaribus conſtruendis, & conſecrandis.

Caput XXVIII.

I. ANtiquitus à Domino Moyſi imperatum fuit, vt Tabernaculum innumeris refertum myſterijs, oraculiſque conſtrueret; poſteà verò Salomon Templum illud toti mundo admirabile ex ipſius Domini præcepto ædificandum curauit. Horum alterum militantem Eccleſiam, alterum verò triumphantem ſignificauit. Quia verò omnia in figura contingebant illis, ideò præſentis temporis Baſilicas, iure præmonſtraſſe, dicemus. Sicùti enim Iudæi viatores fuerunt, cùm Tabernaculum fuit ædificatum, & iam in patria erant, cum Templum Hyeroſolimis fuit conſtructum; ità nos Peregrini ſupèr terram Eccleſias ad Dei cultum ædificamus; mòx eò loci peruenturi, vbi cœleſti Patria fruemur, nempè ad cœleſtem Hyeruſalem, vbi lapides viui in Templum Dei ædificantur, & beatitudine perenni fruuntur.

II. Quanto aùtem honore, & cultu Eccleſiæ debeant ædificari ex eò colligitur, quod Eccleſia, modò domus Dei, modò Porta Cœli, modò Aula, & modò ſponſa vocatur. Quarè, vt debita tantæ rei cura adhibeatur, nullam, niſi de licentia noſtra Eccleſiam, vel Altare ædificari volumus, cuius etiam doti, ac prouentui conſulendum eſt, antequàm ædificium inchoetur, ne poſtquàm fuerit abſolutum ægeſtate, ac rerum inopia laboret, nec vllus, quo ſuſtentetur prouentus ſuppetat; indequè ab Officijs, Sacrificijs, & Dei laudibus ceſſare opus ſit. Vetamus itèm, ne à quoquam, niſi à Nobis, vèl ab alio per

Nos

Nos deputato ; primus lapis ponatur.

III. Lanienæ, cauponæ, ſtabula, Malleatorum omnium Officinæ, quę ſtrepitu, ac tumultu res ſacras perturbant, quàm maximè diſtent ; atquè ab omni vicinarum ædium proſpectu liberę ſint Eccleſiæ, ac, ſi fieri poſſit, ab alijs etiam ædificijs, nec non ab aquarum decliuio, ac ſordium incurſu earum ſitus ſit immunis, qui adeò altus, ſi poſſibile ſit, eligatur, vt tribus, quatuor, aùt quinque gradibus, præsèrtim ſi Eccleſia ex inſignioribus futura ſit, ad eam aſcendatur.

IV. Eccleſiæ magnitudo, præsèrtìm ſi Collegiata, aùt Parochialis futura ſit, à Populi frequentia, & quantitate dimetiatur. Fundamenta altè, latèque locentur, quorum firmitate ità fulciatur tectum, vt omnis ruinæ dubium remoueatur. Pars eius interior ſit continua, & nulla re diſcreta, quæ tamèn fortis, & in æuum duratura videatur: & ſi eam ſacrarum hiſtoriarum, aut Sanctorum picturis ornandam non iudicent, calce ſaltèm, aùt gypſo dealbare non deſinant.

V. Sedilia ſint vniformis magnitudinis, ac ſtructurę: Confeſſionalia quòque congruæ venuſtatis, ac formæ. Aquę benedictę Pixidula ſit à cornu Epiſtolæ, & ſi binæ ſint, hinc vna, indè altera ex ſolido, & polito marmore intrà ipſius Eccleſiæ introitum collocentur.

VI. Intrà Eccleſiæ Tribunam, quę debet prominere aliquot gradibus à Naui, ad Altare maius, quod ad Orientem verſus debet eſſe conſtructum, gradus, & magnitudine, & numero diſpares, aſcenſum conſtruant. Chorus aùtem ſit vndiquè columellis ſeptus, & nullis, niſi Clericis præbeat ingreſſum. Cœtera Altaria tantùm inter ſe diſtent, quantùm Sacerdotes nequeant ſacra facientes, inuicem perturbari. Nequè vllo modo Altaria ſub Suggeſtu, aùt Organo, aùt à latere portæ, quæ Arę maiori eſt appoſita erigantur ; cum non conueniat celebrantem Aræ maximæ, vbi Venerabile aſſeruatur, terga præbere. Sint autèm in Parochiali Eccleſia tria Altaria ad minus, ſed in archite-

ctu-

ura paria: hæc enim ſtructurę vniformitas, & magis Deo, qui in Trinitate vnus eſt, conuenit, & intuentes magis, magiſque delectat.

VII. Singulis Altaribus tela desùper èxtendatur: & ſingula Crucem habeant cum binis ſaltèm candelabris, totidemque puluinis; tres mappas, quarum duæ ſint longiores, breuior aùtem tertia; tabellas ſacri Conuiuij, Pſalmi *Lauabo*, & Euangelij S. Ioannis; nec non adſit pallium ex corio aurato, aùt alia materia coloris congrui, ſi tota Menſa non erit conſecrata. In medio eiuſdem Altare portatile ità inſeratur, vt nihil prorsùs à Menſa emineat, in quo oblata ſint collocanda. Insùper ipſa Menſa, ſeu Ara portatilis tela cerata omninò cooperiatur.

VIII. Turris, quæ Campanile vulgò vocitatur, valido ſit muro conſtructa, fortibus partita tabulatis, & contignationibus, eiuſque altitudo ſit conueniens, & eius ſummitas præacutę Pyramidis formam habeat, eius oſtium clauibus, peſſuliſque muniatur, quo nullus pręter Campanarium ingredi permittatur. Campanæ quòque magnitudine, ac voce abſentiæ Parochianorum adæquentur, & non niſi per Nos benedictæ in Turrim Campanariam eleuentur: ad fugandos nàmque malignos Spiritus, & Turbines, non earum ſtrepitus, ſed benedictio plurimùm poteſt; cuius rei teſtimonium, alijs etiam in rebus obſeruare, non abs re fuerit.

IX. Propè Altare maius à cornu Epiſtolæ ſit Sacrarium collocatum, quod iuſtæ ſit amplitudinis, & valido laqueari contectum, vt ſacrilegia vitentur.

X. Propè Eccleſiam domus Parochialis ſit ædificata; ità tamèn, vt nec Eccleſiæ proſpectum, nec lumen impediat: ſitque ab ipſa domo ad Eccleſiam vnicus pro Parocho ingreſſus, non aùtem feneſtræ apcriantur, ex quibus Parochus; aùt alij introſpicere valeant.

XI. Prohibemus, Nobis inconſultis, Ædiculas, ideſt Capi-

P tel-

tella fieri, & in eis Picturas effingi. Cùm autèm à Nobis licentiam aliqui obtinuerint, mandamus eas tecto muniri, ac ligneis clatris, ſerra, & claui firmatis intercludi; clauiſque ipſa à Parocho teneatur, ne aliqua Animalia, aùt pluuiæ vitandæ cauſa, aùt alia de re, eò ſe recipere valeant, quod, vt reſpectui Religionis contrarium, omninò prohibemus.

XII. Rectores ſinguli de Templo conſecrato Teſtimonium habeant; quod ſi cui deſit, perquirat priùs diligènter, & ſi nullum ſignum, aùt ſaltèm fidelis traditio inueniatur, quàm citiùs conſecrandum curet. Die aùtem, quæ Conſecrationem præcedit, Populo ieiunium, & ſupplicationes indicantur; ac tandèm Conſecrationis opus in libro ad hoc parato deſcribendum Cancellariæ Noſtræ deferatur; paritèrque eiuſdem Conſecrationis memoria in lapide deſcripta, aliquo in loco intrà Eccleſiam infigatur, vltrà Cruces in Eccleſię pariete depictas; hæ nàmque curſu temporis aboleri poſſunt, ſed lapides inciſi diutiſſimè perſeuerant. Hoc idem etiàm de Altaribus, & Cœmeterijs ſtatutum intelligatur.

XIII. Ab Eccleſiæ Miniſtris pro Altaris portatilis conſecratione nihil exigatur. Sculptores aùtem tantumdem accipiant, quànti lapis ipſe non conſecratus vendi poſſet: quid quid enìm vltrà accipitur, non eſt à ſimoniaca labe ſecurum.

XIV. Eccleſiæ, quæ reſtauratione indigent, Fabricæ impenſis, aùt Beneficij reparentur: quæ verò ſunt omninò dirutę, & reſtaurationis incapaces, pœnitùs demoliantur, earumque materia omnis, ſacro iterùm applicetur officio, non aùtem profano: in loco verò dirutæ Eccleſiæ, lapidea columella erigatur, & deſùper Crux ferrea infigatur.

XV. Quæcumque Eccleſiæ ex quacumque occaſione Populo non aperiantur, niſi iam claro die, & ſtatim pòſt Solis occaſum claudantur, & earum claues præcipuè Eccleſiarum Parochialium omninò ſint, & continuò ſtare debeant pœnès Parochum, & nunquàm ſint in manibus Perſonarum ſæcularium,

etiàm,

etiàmsi actu sint Officiales Eccleſiæ; ideòque iubemus, & ſtrictè Parochis præcipimus, vt ſpatio duorum mensium ab hac die, ianuas Campanilis in loco patenti extrà Eccleſias fieri curent, ne cauſa Campanas pulſandi, Campanarijs, vel alijs claues Eccleſiæ dentur, vèl relinquantur, quod etiàm de clauibus Sacriſtiæ decernere intendimus.

DE REVERENTIA ECCLESIIS DEBITA.

Caput XXIX.

I. AB Eccleſiarum ſtructura ad earum reuerentiam tranſeamus; pauca hac de re neceſſariò dicturi: fruſtrà enìm Lapidibus, quàmuis pretioſis, Diuino Numini domus fabricarentur exteriùs, niſi earum reſpectus priùs locaretùr in corde. Nàm si Nos ſibi Deus conſtituit Templa, & voluit ea ab omni inquinamento intacta ſeruari; quomodo mundos nos eſſe probabimus, ſi domû Dei, in qua corda purificantur, malis morib. inquinabimus? meditemur quã terribilis ſit Locus iſte, ex quo Redemptor ipſe, facto quasi flagello de funiculis, ſæcularia negotia agitantes eiecit: non enìm eum impunè abire patitur, qui Orationis domus malo ſuo facit, vt ſpelunca euadat latronum.

II. Mandamus igitùr omnibus, Eccleſiarum curam gerentibus, vt ſæpè ſæpius admoneant Populum de reuerentia, quam domui Dei habere debent, illamque proſanantes, acribus primùm verbis obiurgent, & poſteà, niſi reſipuerint, ad Nos deferant, vt tanti ſceleris remedia procuremus: maximum enìm ſcelus eſt, homines ludibundos, incurioſos, ridentes, & forsitàn

deridentes in ipſius Dei conſpectum venire, antè cuius Maieſtatem adſtantes Angeli pauent, & contremiſcunt.

III. Nulli Mendicantium per Eccleſiam, ſtipis petendæ gratia, admittatur ingreſſus; ſed extrà valuas conſidere cogantur; & in hoc delinquentes, pœnas arbitrio Noſtro ſe daturos ſciant: non enim ſunt vera miſericordiæ opera, quæ perturbant iuſtitiæ debita.

IV. Feretra, ligna, ſcalæ, cœteraque id genus impedimenta non in Eccleſia ſeruentur, ſed alio loco cuſtodienda reponantur; & ſi qua ſunt, ſub pœna arbitrij Noſtri aſportentur, nec ampliùs intùs Eccleſiam collocentur. Capſæ item, ac arcæ Defunctorum à pauimento prominentes eruantur. Scamna, quæ vetuſtate laborant, nouis conſtructis, igni donentur; omnis deniquè cura adhibeatur, vt elegantia, ac nitore (ſicut Dei habitaculum decet) vndiquè tota reſplendeat.

V. Illi, quibus Eccleſiæ cuſtodia demandata eſt, neminem intrà eam pernoctare patiantur; ſed fores ſint diligenter obſeratæ, ac benè munitæ, vt res ſacræ à Sacrilegijs, & ab omni iniuria cuſtodiantur immunes. Sciantque nefarij homines, quorum manus, nec à locis quidèm, & rebus ſacris ſe continet, longè iniquiorem culpam committere, quàm ſi quæuis alia, dummodò non ſacra, ſurriperent.

VI. Nihil frugum, olerum, aùt fœni, etiàmſi turbo immineat in Eccleſijs, Sacriſtijs, aùt Cœmeterijs ſub pœnis grauiſſimis, etiàm Suſpenſionis, reponatur. Herbæ aùtem Cœmeterij (vt aliàs diximus) cum creuerint, comburi volumus; prohibemuſque ibi Animalia paſci, aùt fœnum Equis, alijſquè Animalibus comedendum apponi: non enìm decet malis frangi Beſtiarum, quod ex carne, & oſſibus nutritum eſt Chriſtianorum.

VII. Scolaſteria omnia in Eccleſijs, aùt Sacriſtijs exercere vetamus; nec non ſæculares cœtus pro negotijs ſæcularibus agitandis. Prohibemus itèm onera quæuis per Eccleſiam porta-

tari,niſi hoc fiat eius ſeruitio,aùt ornamento. Et ſi Capellæ aliquæ fuerint, quæ ſuperiùs locum, aùt cubiculum ad dormiendum habeant, protinùs demoliri mandamus.

VIII. Et quià in Eccleſia non conuenit Viros Fœminis aſſociari (& hoc à Parochis Populo diligentius inculcari debet) ideò vbi commodè fieri poteſt, ſeptum tranſuerſum in Eccleſia extruatur, ad Viros à Fœminis diuidendos; ne oculorum illecebræ cordibus inſidiantes, prauas cogitationes elijciant.

IX. Vt etiàm Eccleſiæ immunitas, quæ etiàm apùd Ethnicos inuiolabilis fuit, in ſuo robore perſeueret, hoc immutabili Decreto prohibemus, ne quis manus violentas Perſonis, quæ ad Loca ſacra ſe receperunt, inijcere audeat, at ne Domus Domini Spelunca latronum efficiatur, & quod Dei impenditur reuerentiæ, peruerſorum hominum deſeruiat temeritati; huius Priuilegij incapaces declaramus, viarum Graſſatores, agrorum Populatores, Incendiarios, Proditores, & ſpe huiuſmodi refugij delinquentes, insùper eos, qui in Eccleſia, ſeù Cœmeterio homicidia, aùt mutilationes perpetrarunt, Perduellionis reos, Iudæos, & Hæreticos etiàm ſuſpectos, iuxtà Conſtitut. Gregorij XIV. quæ incipit: Cum aliàs.

X. A' Notarijs, ſeù Cancellarijs, vèl à quibuſuis alijs Perſonis, Cadauerum inſpectiones, quas viſa reperta Criminaliſtæ vocant, in Eccleſia fieri vetamus; nullaque cædis cognitio, aùt proceſſus introductio intrà ipſius Eccleſiæ, vèl Cœmeterij ſepta omninò fiat, & hæc omnia, etiam de ijs Eccleſijs, quæ adhùc non ſunt conſecratæ; ſed tàmen in ijs ſacra fieri permittuntur, ſtatuta haberi volumus.

XI. Prætereà omnes Arbores, Vites, Ederę, & cætera huiuſmodi, ſi adhæreant Ecclesijs, aùt in Cœmeterijs exiſtant, Parochi cura radicitùs euellantur.

XII. Nihil in Ecclesijs, aùt propè earundem Ianuas, nec in Cœmeterijs vendatur, aùt vendibile ex quacumque cauſa pro-

po-

ponatur ; qua in re Eccleſiarum Rectores maxima diligentia inuigilent , ne Deum , & Nos vltores ſuæ negligentiæ experiantur.

De bonis Eccleſiaſticis , & de Locationibus.

Caput XXX.

I. BOnorum Eccleſiaſticorum , apùd Perſonas Eccleſijs ipſis emancipatas, adeò magna hucuſque percrebuit incuria, vt apùd eas commodum in deſtructionem,& vſus in direptionem euaſerit, nominumque, at locorum oblitera-ta memoria Termini , ac Confines pœnitùs ignorentur , & iam iàm Eccleſiarum iura , vèl ſint amiſſa , vèl in publicos vſus, aùt priuatos conuerſa videantur: illique,ad quos ſpectat eorum curam habere , aùt oſcitantèr negligant, aùt cum furibus rapiant . Quarè , ne Patrimonium Chriſti fiat occupantium,aùt ſaltèm parum,quod ſupereſt,conſeruetur;hæc,quæ ſequuntur, ſtatuenda cenſuimus.

II. Omnes tàm Eccleſiaſtici, quàm Sæculares , qui Dignitates, Canonicatus, Præbendas, Præſtimonia, Portiones, vel alia quæcumque Beneficia obtinent ; in virtute Sanctæ obedientiæ teneantur intrà annum tradere publicis documentis , & in Cataſticum , ſiuè Inuentarium redigere,ac conſcribere nomina , & quantitatem omnium Prædiorum, & nouiſſima apponere Confinia,quæ in præſens cognita habentur; eius autèm Inuentarij, ſeù Cataſtici duo exempla fiant, quæ ambo publici Tabellionis Fide ſignentur, & alterum apùd ipſos Beneficiatos ,ſeù adminiſtratores : alterum in Noſtra Epiſcopali Cancellaria conſeruentur :

tur: quæ in Diœceſis Viſitatione (ſi Nobis videbitur) ſimùl conſerantur; ſingulíſque decennijs debeant renouari, ea, quæ fuerint omiſſa, vèl quæ ſuperuenerint, adijciendo.

III. Quicumque poſthàc Beneficia Eccleſiaſtica obtinuerint, intrà ſex menſes à die adeptæ poſſeſſionis, teneatur receptæ Eccleſiæ Cataſticum recenſere, ac Nobis, ſi quid auctum, aùt diminutum fuerit, ſignificare: aliòquin in omnes eos, qui talium Inuentariorum compoſitionem neglexerint, Nos pro arbitrio noſtro animaduertemus.

IV. Si quis autèm diuinæ Legis, & Apoſtolorum ædictorum adeò contemptor fuerit, vt aliquid ex bonis Eccleſiaſticis, iuribus, ſeruitutibus, aut quęcumq; ad Eccleſiam attinentia vſurpare; aùt poſſidentes vi, aùt timore incuſſo temerè exturbare pręſumpſerit; is latæ ſententię Excommunicationi eò vſq; ſubiaceat, donèc à Sede Apoſtolica abſolutionem obtinuerit; & ſi ille aliquod Iuſpatronatus habuerit, ſciat ſe eò ipſo eſſe priuatum. Si verò fuerit Clericus Beneficiatus, ab omnibus Beneficijs ſuſpenſum, & ad alia inhabilem inpoſtèrum ſe futurũ ſciat. Quod vt omnibus pateat, & cunctos ab ea temeritate deterreat, Parochorum erit ſingulis annis Dominica prima Maij intèr Miſſarum ſolemnia, Concilij Tridentini Decretum hac de re, vernacula lingua explicare.

V. Beneficiati omnes, Adminiſtratoreſque, ſi quid à Prædeceſſoribus alienatum fuerit, aùt ab iniquis Hominibus vſurpatum, omni diligentia recuperandum curent, nec quidquàm diſtrahere, aùt quouis modo alienare præſumant: cùm ipſe contractus nullus ſit, nec pactum recuperationis eos ab ijs Cenſuris defendere poterit, quæ ſunt à Iure in ipſos ſtatutæ, ſcilicèt Excommunicatio, Interdictum ab Eccleſiæ ingreſſu ipſo facto, & perſiſtentibus, etiam Beneficij priuatio. Si quis aùtem ſupèr Eccleſiæ rebus contrahere voluerit, etiàm cum euidenti eiuſdem Eccleſię vtilitate, nulla contractus forma ſtipuletur, niſi S.

Se-

Sedis Apoſtolicæ conſenſu; vèl ſi res ſit parui momenti, noſtro ſaltèm priùs requiſito, ac recepto.

VI. Omnes illi; quibus alienationis cauſas à Summo Pontifice delegari contigerit, ipſas Cauſas in Litteris, & Supplicationibus diligentèr attendant, diſcutiant, & examinent; Solum Deum præ oculis habeant, non alicuius timore, aùt fauore aliquid in Eccleſiæ detrimentum, & læſionem quomodolibet interponant; aliòquin ſi inferiores erunt, Anathemati ſubijaceant, & qui huiuſmodi Decreta, vèl procurauerint, vèl extorſerint, eadem pœna plectantur, nec ab vllo, niſi à Summo Pontifice, valeant abſolui.

VII. Nullæ fiant locationes de Bonis Eccleſiæ vltrà triennium: eaſdemque Propinquis vſquè ad tertium gradum, quomodocumque fieri vetamus, niſi euidens Eccleſiæ monumentum ex ipſis appareat. Quæ autèm antecipata ſolutione in fraudem Succeſſorum contractæ fuerint, ex nùnc, pròut ex tùnc irritamus, & iàm factas nullius roboris eſſe declaramus: & insùper, qui in hoc deliquerint, pœnarum immunes ſe fore deſperent.

VIII. Emphytheuſes nouas, ſiuè perpetuas locationes de bonis Eccleſiaſticis, omnibus, ſed præcipuè Propinquis vſquè ad tertium gradum fieri prohibemus. Vetamus etiàm omnem contractum, qui vtilis, directique Dominij translationem habeat, qui contineat ſeruitutem, & pignorationem mobilium, vetitam à iure; & omnem alium huiuſmodi contractum: qui ſi nihilominùs fiat, nullum, inanem, nulliuſque roboris, ac firmitatis fore declaramus.

IX. Non alienentur fructus nondùm à Solo ſeparati: Arbores viuidæ, & adhùc terræ cohęrentes ne euellantur, aùt recidantur; niſi id in Ecclesiæ commodum, aùt decus aliquo modo futurum ſit. Tranſgreſſores autem, annuo Beneficij redditu, pro crimine plectentur.

X. Con-

X. Confraternitates, piaque loca auctoritate Ordinaria, vèl Pontificia fundata, adminiſtrantes Bona ipſius loci in Emphytheusim, conductionem, vèl emptionem, ne per ſuppoſitas quidèm Perſonas accipere, minimè præſumant ſub pœnis priuationis officij, nullitatis contractus, & alijs ad arbitrium.

XI. Qui Scripturas Eccleſiaſticas, aùt iura quouis modo ad dominium vtile, vèl directum Eccleſiarum concernentia occultauerit, vèl ſuppreſſerit, aùt ab alio aliquo occultari nouerit, & ei, ad quem ſpectat, non denuntiauerit, Excommunicationis vinculo teneatur; & ſi Clericus, vèl Sacerdos fuerit, Suſpenſionem incurrat. Quamòbrem cùm Beneficiatus diem ſuum obierit, illius hæredes monumenta omnia ad Beneficium ſpectantia colligere, Succeſſorique, ſeù alijs, cui huiuſmodi munus fuerit demandatum, exhibere ſatagant, nulla pecunia, aùt pretio (etiamſi à Defuncto aliquid expenſum eſſet) repetito; ne ex eorum negligentia, aliquod Eccleſiæ emergat detrimentum, quod eiſdem ſpirituale inferat exitium.

XII. Atquè, vt omni cura, & vigilantia, remotoque omni difficultatis obice, Eccleſiarum Immunitati ſit proſpectum, cùm aliquem ex Beneficiatis præsèrtim ruri morantem, mori contigerit, Parochus illius loci, vèl ſi Parochus obierit, vicinior (qui etiàm Parocho ſuprema agenti præſtò eſſe debet, & in omnium difficillima lucta laborantem adiuuare, & conſolari tenetur) ſtàtim ac animam egerit, ſcripturis omnibus, ac rebus cœteris in loco tuto poſitis, Vicarium Foraneum accerſitum mittat, qui confeſtìm eò ſe transferens, ea, quæ ad Eccleſiam ſpectant, in Inuentario conſcribenda curet, & conſcripta recondat.

XIII. Si quos autèm deteſtabilis, ac ſæua rapacitas in tantum occupatos detineat, vt orbatæ Eccleſiæ Bona mobilia, vel immobilia ſurripere, occultare, vèl quouis modo diſtrahere præſumpſerint, Excommunicationem latę ſententię huius noſtri Decreti vigore, Vicarius Foraneus contra eos fulminabit: & ni-

hil antè recognitionem, & ſupradictum Inuentarium, ab hæredibus auferri permittat.

XIV. Inſuper Beneficiorum fructus, intèr hæredes Defuncti Beneficiati, & Succeſſorum in Beneficio, ſic diuidendos eſſe decernimus. Fructus naturales, & induſtriales, & affictus debiti ratione talium fructuum, si à Solo ſeparati fuerint tempore mortis Beneficiati, eius hæredes habeant vniuerſos; Pendentes verò Succeſſori remaneant; ſed si tales fructus pendentes non ſatis fuerint pro eius ſuſtentatione, & pro ſupportatione onerum Beneficij, eo caſu volumus eidem Succeſſori eſſe relaxandam congruam portionem ipſorum fructuum, inſpecta quantitate reddituum Beneficij, ac onerum eidem incumbentium. Fructus verò ciuiles, quales ſunt Cenſus, Penſiones domorum, & aliæ similes reſponsiones, si in vita Defuncti Beneficiati eorum dies non ceſſerit, ideſt si maturati non fuerint, integri ad Succeſſorem pertineant.

DE LEGATIS PIIS.

Caput XXXI.

I. OMnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram; sicùt enim aqua aquam impellit, vt ad mare decurrat; ità homo impellit hominem, vt in puluerem redeat. Moriendum eſt ergò vnicuique, nec gloriabitur homo in diuitijs ſuis; quia cùm interierit, non aſſumet omnia, ſed sine exceptione relinquet omnia, & fortaſſe tales habebit ſuarum diuitiarum hæredes, qui, si quid ipſe ad ſuam à peccatis animam redimendam reliquerit, ingratiſſimè, quod legatum eſt, propriam animam parui pendentes, adimplere non curabunt. Quod, quàm deplorabile sit, non eſt cur pluribus ver-

bis exponatur. Veniet tamèn tempus in quo par pari referri conueniet,& tùnc ipſi quòque ſe derelictos ſentient à ſuis,cum màgis eorum ope adiuuari deberent;fruſtràque in Chriſti hereditatem cooptari depoſcent,cùm illum ipſum, ſuis relictis, defraudare non erubuerint.

II. Vt ergò Nos pro viribus in nulla re deficiamus, & diabolicæ fraudi omni ſtudio occurramus, Parochis omnibus huius Decreti vigore præcipimus, vt Notarios omnes, Tabelliones,& ſuos Parochianos in Domino efficacitèr hortentur, vt omnia Legata pia, quæ in vltimis voluntatibus pœnes ſe habent, per ſe, vèl per alios, ſcriptis, & quæ ſciunt, vèl dubitant nondùm Eccleſiæ denuntiata eſſe, ſibi, vèl Nobis intrà duos menſes notificent, atque etiam ſcriptis (recepta tamèn ab eo mercede, cuius hoc interſit) conſignent. Hoc idem facere teneantur cùm inpoſtèrum teſtamenti; aùt codicillorum tabulas quaſcumque exarauerint, intrà idem tempus à die obitus, vt ſuprà declaratum. Quorum legatorum omnium memoriam, expreſſis oneribus, & honoribus, in libro ad hoc ſpecialitèr deputato, etiàm per Cancellarium Noſtrum, volumus conſeruari.

III. Parochus autèm publicè omnes, & priuatìm ſingulos admonere non deſiſtat, vt ijs, quæ à Prædeceſſoribus eorum legata fuerunt, omninò ſatisfaciant, docendo eos, animabus ſuis præiudicium inferre, qui Defunctorum voluntates vèl nolunt, vèl procraſtinantur; eoſque animarum interfectores vocari, à quibus æternæ perennitatis ſubſidia impediuntur adminiſtrari. Quòd ſi huiuſmòdi executio vltrà annum fuerit neglecta, ad Nos debeat fieri recurſus, vt Sacrorum Canonum auctoritate ſuffulti, de bonis ipſorum poſſimus ſtàtim executioni demandare, quod ipſi hæredes detrectauerint, adimplere.

IV. Eccleſiæ omnes, ſiuè ſint Parochiales, Collegiatæ, aùt

Cathedralis, habeant vnam, ſeù plures Tabellas, in Sacriſtia in loco conſpicuo collocatas ; & in ijs ſint Legatorum omnium , ac ſingulorum obligationes annotatæ : & ſi quæ fuerint factæ omiſſiones, per Parochum, vèl Sacriſtam diſtincta eorum ratio teneatur.

V. Legata in vltimis voluntatibus ad ægenorum ſolatium generalitèr, relicta Confraternitatibus, aùt Collegijs , non poſſint ab ipſis Confraternitatibus , aùt Collegijs diuidi inter ſe, nequè aliquibus priuatis Perſonis diſtribui, nequè in partem vſurpari, ſed ſicùt fuerit Teſtatoris voluntas, ità exactè ſeruetur. Idem ſtatuimus de Relictis Eccleſiæ circà Parochos, ac Beneficiatos, Sacerdotes, & Clericos, vt ne paupertatis quidèm cauſa, nihil omninò abſquè licentia Noſtra ſibi aſſumere audeant.

VI. Ea, quæ piè relicta ſunt ad aliquos certos vſus ſine noſtro, & hæredum conſenſu ad alias res, etiàm ſi neceſſitas vrgeret, valcant conuerti ; cùm enim piarum voluntatum executio noſtræ Fidei ſit ſpecialiter demandata, nolumus ab vllo alio ſibi de eo curam aſſumi, quod facere noſtri eſt miniſterij.

(✠)

De Decimis, & Oblationibus.

Caput XXXII.

I. F*ilijs Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis*; ità Dominus ad Aaron locutus eſt. De Tobia autèm inquit Scriptura, quòd *Dominum Deum Iſrael adorabat, omnes primitias, & decimas ſuas fideliter offerens*. Ex his ergò, & alijs locis tùm veteris, tùm noui Teſtamenti patet, Decimas iure diuino Miniſtris Eccleſiæ eſſe ſoluendas. Confirmatur hoc ex Eccleſiæ præcepto, vt nullus vltrà ambigendi locus remanere videatur, quìn ſit conueniens, & iuſtitia debitum, vt qui *Altari ſeruit de Altari viuat*, & ſpiritualia miniſtrantibus, temporalia miniſtrare conueniat.

II. Omnes, tàm Eccleſiaſtici, quàm Laici decimas de bonis omnibus conſuetis; Regulares etiam (niſi aliquo gaudent priuilegio) de prædictis bonis Eccleſiæ Parochiali, intrà cuius fines fuerint, dicta prædia ſoluere tenentur.

III. Compoſitiones, ſeù pacta de futuris Decimis fieri prohibemus, & quæ facta fuerint, annullamus, eaſque integrè ſoluendas de ijs, quę ex conſuetudine ſolui debent, Debitoribus ſtrictè pręcipimus.

IV. Sacerdos in Miſſæ Offertorio pacem Populo oſculandam præbeat, idquè, quod à pietate fidelium ſibi oblatum eſt, benignè accipiat, & nullam ſordidæ cupiditatis ſpeciem præbentibus oſtendat; ſed omnibus pacem offerat, etiàm non daturis eleemoſynam.

V. Ad Pacis oſculum præcedant mares, mulieres ſubſequantur, omni ſtrepitu, ac tumultu remoto, ne fructus, qui ex

elee-

eleemoſyna colligi deſideratur, ex inſolentia non euacuetur; Nunquam autèm in huiuſmodi actione, quæ debet eſſe omni deuotione referta, fœminarum cum maſculis fiat commixtio, ne quod eſt ad meritum, ſcandalis euadat in animæ detrimentum.

VI. Quæ intrà alicuius Parochiæ fines Eleemoſynæ fiunt, illius Parocho debeantur, niſi conſtet, eas ad alium vſum datas fuiſſe; tùnc enim pro offerentium intentione expendendę erunt.

VII. Prohibemus autèm vota argentea, vèl etiàm cerea, aùt cuiuſcumque alterius materię, voti cauſa oblata, etiàm confracta, Nobis inconſultis alienari, aùt vendi, etiàm ſub pretextu, quòd alienentur, vel vendantur pro ipſius Eccleſiæ ſeruitio, aùt ornamento.

VIII. Conuentiones, contractus, aùt quęcumque pacta ſupèr Eleemoſynis colligendis penitùs interdicimus, & prohibemus ſub pœnis arbitrio noſtro decernendis.

DE BENEFICIIS.

Caput XXXIII.

I. CVm Beneficia ad diuinum cultum, atquè Eccleſiaſtica munia obeunda inſtituta ſint, vt qui Altari ſeruit, de Altari viuat: hinc eſt quòd in eorum collatione ſummoperè prouidendum eſt, vt Perſonis dignis, & quę per ſe ipſas ſuum munus exercere valeant, conferantur; aliòquin non in ædificationem dantur, ſed in deſtructionem: ſępe enìm contingit, vt oues eſuriant, & Paſtores ſe ipſos paſcentes, eas paſcere negligant, & dummodò prouentus pingues accipiantur, labores ſubterfugere non verentur. Vt

er-

ergò hęc impietas ab Eccleſia Dei arceatur; & ne beneficia ipſa in perniciem conferantur, aùt in perditionem recipiantur, hęc, quæ ſequuntur, ſtatuenda decreuimus.

II. Vacante aliquo Beneficio, nullus aùt arrogànter efflagitare, aùt ambitu illud obtinere pręſumat. Ideò litteras omnes comendatitias, quibus beneficium impetrari cenſeatur, diſtrictè Nobis pręſentari prohibemus; ſicùt etiàm ne quis ob eandem cauſam Nobilium, aùt Magnatorum fauorem velit apud Nos adhibere. Si quis aùtem hoc Noſtrum Decretum contemnere auſus fuerit, eum beneficij indignum reputabimus. Hiſce enim artibus præterquàm quod noſtram Iuſtitiam ſtudet corrumpere, etiàm ſibi ipſi ignorantiæ notam videtur incurrere.

III. Reputabimus indignus quòque quoſcumque, qui viuente adhùc Beneficiato, illius Beneficium expoſcere, aùt quoquomodo per ſe, vèl per alium efflagitare non veritus fuerit.

IV. Examinatores, poſtquàm Ædictum propoſitum fuerit, nullo modo Concurrentes in re quapiam erudiant, diligenterque de Examinandorum vita, Scientia, ac moribus inquirant: caueantque ne alicuius amore, odio, aùt ſordido quęſtu ducantur; in re tàm graui rationem, etiàm de leuibus rèddituri Deo, & Nobis.

V. Nemo autèm ſe ab examine immunem exiſtimet: omnes enìm ad Beneficia quæcumque, curam animarum habentia, vel ad alia quouis modo vacantia concurrentes, examini, pròut à iure ſtatutum eſt, ſe ſubijcere teneantur.

VI. Sed nequè Iuris patronatùs beneficia ab examine tuta eſſe cenſeantur; imò omnes Patronatus iura obtinentes, monitos eſſe volumus, ut Perſonas, moribus, Doctrina, ac Virtutibus idoneas ad præſentandum adducant; ne eas tanquàm inhabiles repellere, & Pręſentantes arguere cogamur. Illud aùtem in primis fugere meminerint, ne cùm pręſentando aliquem,

quem, ipſius præſentationis cauſa, ſolutionem, promiſſionem, vel pactum ineant, quibus à ſimoniaca labe nullo modo tuti eſſe poſſunt.

VII. Nullus Beneficia permutare, vel reſignare audeat, niſi noſter conſenſus interuenerit. Hoc autem modo ſecuta permutatio coràm Nobis in Cathedrali, atque Titulari Eccleſia eiuſdem Beneficij permutati, vel in Parochiali, intrà cuius fines ipſum Beneficium ſitum eſt, publicetur intrà tres menſes à die permutationis factæ ſub pœna nullitatis ipſius. Permutantes autèm auctoritate Apoſtolica prædictam publicationem intrà ſex menſes faciant, vt nullitatis pœnam effugiant.

VIII. Vt autèm nulla fraus, aùt ſimoniacum crimen in litium, aùt controuerſiarum compoſitione, ſeù tranſactione ſub redimendæ vexationis pretextu deliteſcat, nemini vllam huiuſmodi conuentionem, ne titulo quidem redemptionis, facere liceat, niſi illam Nos priùs approbauerimus; in qua non vtique curſìm, & quàſi per tranſcænam, ſed matura, ac diligenti inſpectione, & re benè conſiderata, procedendum erit.

IX. Nemo autèm ad profligatiſſimæ audaciæ exceſſum, ab auida poſſidendi cupiditate ità attrahatur, vt Bullis, vel à Sede Apoſtolica, vel à Cancellaria noſtra nondùm expeditis, poſſeſſionem cuiuſcumque Beneficij accipere audeat ſub pœnis à iure ſtatutis.

X. Beneficia ſimplicia obtinere volentes de legitimitate Natalium, aùt de eorum diſpenſatione doceant; ſint præterea prima tonſura initiati; aliter inhabiles ad quæcumque beneficia ſe eſſe cognoſcant, & ſi exteri fuerint, litteras Dimiſſoriales ſui Ordinarij præſtent.

DE PAROCHIS.

Caput XXXIV.

I. CVm in primis verum ſit illud Axioma , quòd *amans magis eſt vbi amat , quàm vbi animat* : idcircò Petrus, qui in Apoſtolorum Collegio principalem locum obtinuit, adeò totus erat in Chriſto, vt amoris vi illius Diuinitatem in carne penetrare potuerit , ait enìm : *Tu es Chriſtus Filius Dei viui* : ex qua confeſſione meruit viciſsìm audire : *Tu es Petrus , & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* . O' mira Amoris potentia , quæ ità Chriſtum affecit , ut Petro crediderit , quod ſanguine redemit ! Ex qua re quilibet colligere poteſt, qualis Parochorum animus ergà Deum , & Gregem ſibi comiſſum eſſe debeat : nempè ità diuina amoris flamma ſuccenſus , vt nihil agat, nihil velit, quòd ad eius honorem, & gloriam non conducat; & nihil , quàm charitatem ergà Proximum non redoleat. In omnibus verò ſatagat, vt oues ſibi creditas ab omni tueatur incurſu ; omneſque in caulam Domini vigilantia , & ſollicitudine congregentur . Hoc autem multò faciliùs ſibi euenire ſciant , ſi in primis Vitæ integritatem , & bonorum morum Exempla ad Doctrinæ cognitionem adiunxerint ; ne plùs exemplo (quod paſsìm fit) deſtruant, quàm verbo ædificent: videantque, ne uox quidèm , uox Iacob ſit; manus aùtem Eſau , ne ſcilicèt documenta ſint bona , opera uerò mala.

II. Omnis Parochus in ſua habitet Parochiali, vèl illa inhabitabili exiſtente, aliam , quæ proxima ſit Eccleſiæ, conducat , eiuſque conductio ab ijs perſoluatur , ad quos attinet Parocho prouidere de habitaculo.

III. Parochorum domus collapſæ, vèl adeò peruetuſtæ, vt ruinam minentur, Fabricæ impenſis reſarciantur, cuius ſumptu fuerunt anteà conſtructæ. At ſi aliquid ornamenti, aùt delitiarum Parochus deſiderabit, proprio ære, ac ſumptibus faciat.

IV. Parochus abſquè licentia noſtra in ſcriptis Curam animarum non deſerat, quàm relicto idoneo Vicario per Nos approbato vltrà bimeſtre continuum; aùt interpellatum, niſi ex graui cauſa non concedemus, aliàs ſciat pro rata temporis fructus ſuos non facere, & ipſos fructus, ſi eos receperit, reſtituere teneri. Hoc etiàm addito, quòd ſi vocatus, reuerſus non fuerit, aùt Nos de impedimento docuerit, contrà eum, pròut de iure, procedetur.

V. Cùm Parochum à ſua Parochia proficiſci contigerit, Populum prius de diſceſſu; deque diuturna abſentiæ mora, ſi eam præſcire poſſit, vèl ſaltèm plùs minùs, admonere teneatur: ipſumque ad pietatis opera colenda intèrim hortetur: & ſi qui in ſua Parochia tùnc fuerint ægrotantes, eos priùs inuiſat, & conſoletur, inuitumque à ſui gregis cuſtodia ſe diſtrahi proteſtetur.

VI. Si verò ex urgenti, repentinaque cauſa Parochus cogatur abire, vt neque Nos conuenire poſſit, nec alia ſupradicta exequi, Vicarium ſaltèm Foraneum de abſceſſu, eiuſque cauſa certiorem faciat, qui ei dierum decem veniam permittat, & poſteà ad Nos, vt primùm valebit, per ſe, vel per Epiſtolas, negotium deferat.

VII. Temporibus Aduentus, & Quadrageſimæ in ſolemnitatibus Paſchæ, Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, Sacratiſſimi Corporis Chriſti, & in die, quo eſt Titulus Eccleſiæ, aùt eius Dedicatio, nullus omninò abſit; tùnc enìm maximè conuenit, Populum cœleſti pabulo enutriri, & Sacramentorum theſauris locupletari.

VIII. Cùm Populus alicùbi ſit adeò numeroſus, vt plures

in

in vna Parochia Parochi requirantur, qui alternis vicibus, vèl alterna hebdomada, aùt aliquo alio modo curam exerceat; ibi omnes ità ſuo muneri parati ſint ſatisfacere, vt nullus eorum queratur, quòd eius Socius, ſeù Collega ſit negligens, vèl quæſtui ſolùm inuigilet. Antè omnia verò à rixis, & iurgijs abſtineant; plebs nàmque valdè ſcandalizatur, cùm ſimultates, ac diſcenſiones ab ijs, qui debent eſſe miniſtri charitatis, viderit enutriri. Si verò emulationes nihilominùs velint exercere, non eam exerceant, de qua dictum eſt: *dura ſicùt infernus æmulatio*, ſed eam de qua Paulus ait: *Emulamini autèm chariſmata meliora*. Decertent inter ſe vigili cura, non improba cupiditate; aliàs graues pœnas à Deo, & à Nobis expectandas ſciant.

IX. Sciant Parochi ipſorum perſonas obligatas eſſe ad animarum ſui Populi curam, & Capellanos eſſe ſuos adiutores; ideòque Parochos non ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi cura Capellanis, aùt alijs commendent; cùm Paſtoris non admittatur excuſatio, ſi lupus oues deuoret, & Paſtor neſciat: ſanguis enim eatum de manibus eius à ſupremo Iudice requiretur.

X. Principales functiones, videlicèt Fontis, Ramorum, Candelarum, Nuptiarum benedictiones, publicæ Proceſſiones, præſertìm in ſolemnitate Corporis Chriſti, & eæ omnes, in quibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum circumfertur, fiant ab ipſis Parochis, & non à Capellanis, niſi tàmen legitimè impediantur. Die Paſchatis, & Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Euchariſtię pabulo proprijs manibus, quantùm poſſunt, gregem ſuum paſcant.

XI. Singuli Parochorum libros quinque diſtinctos habeant, in quorum primo animarum ſuarum numerum, ſtatumque deſcriptum teneant; in ſecundo Baptizatorum; in tertio Mortuorum; in quarto Confirmatorum; in quinto matrimoniorum, ad formam Ritualis Romani Pauli V. accurata diligen-

tia nomina deſcribant. Quod, quia in viſitatione paſsim negligi comperimus, in uirtute Sanctæ Obedientiæ inpoſterùm fieri mandamus.

XII. Cùm aliquem de nouo in Parochiæ ſuæ fines Parochus ueniſſe aduerterit, eius Patriam, cauſamque profectionis inquirat, & uitam, mores, profeſſionem, omneſque actiones oculis lynceis obſeruet: præsèrtim uerò, an fœmina, quam ſibi uxoris nomine detinet, ſit propinqua, aùt ſuſpecta: an ſuſpicionem præbeat, quòd ſit profeſſionis à fide Catholica alienæ: an deniquè talis ſit, ut inter domeſticas oues ualeat numerari, & ſi quid offendat, quod Nobis ſignificare operæ pretium ducat, nulla interpoſita mora Nobis patefaciat.

XIII. Singulis diebus, quibus Populus tenetur ex pręcepto Eccleſiæ audire Miſſam, hora competenti Parochus ipſe celebret, & tàm frequens ſit in celebranda Miſſa etiàm in alijs diebus, ut deuotionem in ſuo Grege conſeruet.

XIV. Intrà Miſſarum ſolemnia diebus feſtis, & præcipuè Dominicis Populum ſuum pijs exhortationibus nutriat, explicando ei quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem æternam, quæque facere, & fugere debeat, vt ipſam conſequatur; nec Populum monere deſinat de Vigilijs, & de Feſtis, quæ intra illam hebdomadam erunt, explicando clarè ei, quæ Feſta ſunt de præcepto, & quæ de deuotione, ne Populus ipſe à conſcientia erronea decipiatur.

XV. Terminato autèm Sacrificio Miſſæ, antequàm Populus ab Eccleſia diſcedat, Parochus alta, & intelligibili voce diebus Dominicis ſaltèm, cum Populo dicat Orationem Dominicalem, Credo, Decem Decalogi, & quinque Eccleſiæ præcepta, & alias Orationes, pròut tempus, & pietas magis ſuggeſſerit.

XVI. Singulis diebus feſtis Parochi omnes pòſt meridiem hora conſueta, Populo ad Campanæ ſonitum coadunato, Veſperas in Eccleſia cantent, adhibito ad hoc Clericorum adiuto-

rio, aùt Sęcularium, qui honeſtate vitæ prædit habeantur, & quos ad id muneris inſtruxerint; nec, dùm Veſperę cantantur, nec anteà, choreas duci permittant, quas ſempèr totis viribus impedire ſtudeant.

XVII. Nullum Sæcularem, aùt Regularem cuiuſcumque Ordinis ſinè noſtra licentia intrà ſuam Parochiam concionari, aùt ſermocinari Parochus permittat.

XVIII. Vnuſquiſque Parochorum Doctrinam Chriſtianam, quæ animarum pabulum, & ſalutis fundamentum eſt, omni vigilantia Pueros edoceat: in claſſes reducat, ſodalitium, ſi venia concedatur, inſtituat: omniaque ſicuti in peculiari doctrinæ Chriſtianæ titulo dictum eſt, adimpleat. Studeatque Clericum pœnès ſe habere, qui ſibi in miniſterijs Eccleſiaſticis, & præcipuè in doctrina Pueris ſuggerenda, opituletur; in qua tamèn docenda perſona Parochi eſt præcipua obligatione adſtricta ex officio ſuo.

XIX. Quotieſcùmque Sacramentum aliquod Parochi adminiſtrabunt, ipſius vim, & effectum iuxtà Catechiſmi Romani formam Populo patefaciant.

XX. Vnumquemque Parochorum Præceſſoris ſui proximè Defuncti anniuerſarium celebrare, aùt ſaltèm quotannis die, quo obijt pro illius anima orare in Sacrificio hortamur.

XXI. Omnibus Sacramenta petentibus, præcipuè verò Infirmis, omni promptitudine, & alacritate Parochus conferre paratus ſit: qui enìm querimonia, & indignatione hoc munus exequuntur, non animarum lucra, ſed earum perditionem amare deprehenduntur: & ſi ex Parochi negligentia vnquàm eueniat, vt abſquè Sacramentorum adiutorio aliquis ex viuis abeat, à Nobis pœna quàm graui plectetur.

XXII. Ægris Euchariſtiam pluries in eadem infirmitate petentibus Parochus omnino haùd deneget, præſertìm ſi

ean-

eandem integrà valetudine frequentare conſueuerit ; debita tamen præuia præparatione , & quàntum Parocho fuerit conceſſum ; ne aliæ occupationes , quæ neceſſariæ ſunt , omittantur .

XXIII. Animam illius , qui extremum ſpiritum agit intimæ cordis pietate Omnipotenti Deo commendare non deſinat , adhibitis precibus , quæ ad hoc ſunt in Rituali Romano inſtitutæ ; adſtanteſque commoneat , ac enixè cohortetur , vt pro anima iàm exitura Deum humillimè deprecentur , & vt ſuprà melius explicauimus .

XXIV. Cùm Curator animarum in omnibus ſe talem debeat exhibere , ut verè Paſtor valeat nuncupari , hoc facillimè aſſequetur , nimiam ſubditorum ſuorum conſuetudinem euitando , & à commeſſationibus , ludis , & rixis ſe abſtinendo . Domi , quantùm poteſt , ſe contineat ; ſtudia colat , libros euoluat , Templum frequentet , forum deuitet ; in docendo ſit affabilis , in præcipiendo humilis , in corrigendo grauis ; auaritiam oderit , ne ſe ipſum non Gregem paſcere videatur ; pudicitiam cuſtodiat , ne à vitio , à quo alios purgare debet ipſe inquinatus appareat ; ſuorum diſcordiam componat , rixas extinguat , ægentibus ſubueniat , ignaros doceat , errantes reducat , proteruos coarguat . Nullum denique charitatis officium paternæ dilectione dignum prætermittat ; vt mundum à ſanguine omnium , & nullum Dei annuntiandi conſilium ſubterfugiſſe , verè iactare ſe poſſit . Quæ omnia etiam de Regularibus , ac Religioni Hyeroſolimitanæ ſubiectis , & curam animarum habentibus tuta intelligantur .

DE

De Congregationibus Parochorum, & de Vicarijs Foraneis.

Caput XXXV.

I. *VBi duo, vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, dicit in ſuo Euangelio Saluator. Quod ſi de Conuentibus omnibus, in quibus aliquid ſpirituale agitur, generalitèr aſſerit; quantò magis hoc in Parochorum cœtu euenire credendum eſt, qui ad animarum curam ſapientèr exercendam, quæſtiones morales ſacris diſertationibus elucidant? hortamur ergò, vt hoc ſanctum inſtitutum, ex quo ſemper nouam addiſcendi materiam, & occaſionem hauriunt, minimè interponatur, ſed in diem feruèntius exerceatur.

II. Nos igitur, ſicuti Parochis ſollicitudinem, quantum poſſumus, in Domino commendamus; ità ſtudiorum exercitium detrectantes, ſi qui ſunt, maximè reprehendimus: omnibuſque Vicarijs Foraneis in virtute Sanctæ Obedientię præcipimus, ut ſingulis menſibus Parochorum ſibi aſſignatorum Congregationes in ipſo um Parochorum Eccleſijs alternis vicibus debeant conuocare. Ijs tàmen menſibus exceptis, in quibus viarum aſperitate, ac intemperie perpenſa prudentia Vicarij Foranei, pro cuiuſcumque Congregationis commodo, ſuperſedendum cenſuerit. Quòd tàmen ità fiet, ut toto anni curſu, vniuerſæ Congregationis circulus non omittatur: & hæc omnia ſub pœna decem Ducatorum Venetorum ipſo facto incurrenda abſquè alia declaratione, quę intelligatur appli-

cata eſſe alijs Parochis Confratribus non contumacibus, decreta eſſe volumus.

III. Parochis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus diſtrictè pręcipimus, ut legitimo ceſſante impedimento, debeant ſtata vice Congregationem apùd ſe habere, & apùd alios habendæ intereſſe non omittant. Cancellarius autèm Congregationis negligentes ad Nos deferat, ut pro eo, ac meriti fuerint, graui pœna plectantur.

IV. Vnaquęq; Congregatio per vota ſecreta Primicerium, & Cancellarium ſibi eligat, & Primicerius intrà menſem à die electionis Nos adeat benedictionem Noſtram accepturus: nec quiſquam eorum hęc annua miniſteria abſque legitima cauſa valeat recuſare; qui verò in ipſo officio reperitur, per biennium confirmari poſſit.

V. Tres libros habeat Cancellarius; vnum, in quo acta Congregationis ſcribantur; alterum, in quo nomina fratrum, & Sororum exarentur, tertium in quo expenſæ, redditusque, ſi qui fuerint, annotentur.

VI. Feſto die, qui Congregationem præcedit, Parochus, à quo Congregatio habenda eſt, Populum adhortetur, vt proceſſioni, alijſque pijs, ac diuinis operibus aſſiſtere, ac adeſſe velit: omnibuſque ipſo mane Eccleſiam viſitantibus, ac decem *Pater noſter*, totidemque *Angelicas Salutationes* dicentibus, quadraginta dierum Indulgentiam per Nos impertitam enuntient.

VII. Feſtiuo die nunquàm fiat Congregatio; Parochi autem, qui ad eam venient, Veſtem talarem, Cottamque cum Bireto habeant, aliàs unius Ducati Veneti pœnas mulctati intelligantur; quæ quidèm pœna ad pios Congregationis vſus debeat erogari.

VIII. Si facultas ſuppetat Concionem ab aliquo ex Congregatis fieri, ſummoperè commendamus. Miſſam uerò de Spiritu

tu Sancto ſolemniter celebrari, Supplicationes haberi, cœteraque de more præſtari committimus; omneſque Parochos Congregatos ſacrum facere ibi volumus, & præcipimus.

IX. Poſtquàm Miſſæ, & Officia erunt abſoluta, excluſis Sæcularibus, Omnes Parochi Congregationis in Sacriſtia ſint, & propoſitos caſus ordinatè diſcurrant; ità ut poſterior Parochus in poſſeſſione ſit primus, & ſic ſucceſſiuè vſquè ad Officiales; & Vicarius Foraneus, vèl illius Congregationis Primicerius, prò ut moris erit, in vnaquaque Congregatione concludat, nec iurgia, vèl altercationes ſequantur; ſed vnuſquiſque dicta ſua opinione, & rationibus, ſeù Doctorum auctoritate firmata, acquieſcat Deciſioni dicti Vicarij, vèl Primicerei.

X. Quibus peractis Parochus, in cuius Eccleſia facta eſt Congregatio omnes Congregatos ad menſam recipiat, in qua non fercularum numero ſtudeatur, ſed frugalitatis, ac neceſſariç refectionis ſolummodò ratio habeatur.

XI. Sacerdotum menſis nulla Sæcularis Perſona admittatur; nemo inania miſceat colloquia, aùt ferat fabulas: ſed cuncta ſint in ſermonibus ſeria, cuncta in actibus grauia. Benedicat in principio menſam, & in fine Deo gratias agat Vicarius Foraneus, aùt Primicerius, & ſi fieri poſſit Clericum habeant, qui inter prandendum, Sacram Scripturam, aùt alium ex libris Eccleſiaſticis legat; omneſque diligentèr, & attentè legentem auſcultent, vt corporali cibo ſpiritualem ſaporem, ac condimentum addant.

XII. Primum locum in Menſa occupet Vicarius Foraneus, qui locus, ſicuti eidem in actu Congregationis competit; ità extrà ipſam cœteris antiquioribus, ac dignioribus locum cedere non dedignetur.

XIII. Ablatis mappis, excluſiſque omnibus Laicis Parochus, qui eſt Dominus domus aliquod noſtrarum Synodalium Conſtitutionum Decretum, quod vèl ad Parochorum munus, vèl ad Sacramenta adminiſtranda, vèl ad alium peculiarem ma-

teriam ſpectet, omnibus audientibus legat.

XIV. Si dubium aliquod alicui ex Parochis aliqua in re occurrere contingat, ſupèr quo Congregationem conſulendam duxerit; id ſit ei liberum facere: aduertat tamèn quod, ſi illud habuerit in Confeſſione, ab omnibus ijs ſe abſtineat, quæ Perſonam pœnitentis patefacere valeant.

XV. Omnes per Cancellarium Deciſiones breuitèr in libro ſcribantur, ac ſingulæ ad Nos intrà Menſem ab eodem mittantur.

XVI. Si aliqua Congregatio Decretum aliquod ad bonum Congregationis regimen præfigendum duxerit; Nos id facere non prohibemus; ità tamen, vt prius per Nos inſpiciatur, & inſpectum approbetur.

XVII. In obitu alicuius Sacerdotis, qui ſit de Congregatione, cœteri omnes funeri aſſiſtant, ac pro illius Sacrificium Omnipotenti offerant.

XVIII. Laude etiàm digna res fuerit, ſi ipſa Congregatio perſonas Laicas, pias tamèn, ac deuotas in ſocietatem admiſerit, & ſi ſe commendauerit alicui Sancto, vel Beatæ Virgini, ſub cuius tutela dirigatur, & ipſius nomine decoretur.

XIX. Quotieſcùmque aliquem ex Sæcularibus Confratribus mori contigerit, Parochi Confratres admoneant, vt pro eius anima decem *Pater noſter*, & totidem *Aue Maria* deuotè recitent: pro Sacerdote *viginti*, aliaſque preces pro libito ad Deum effundant.

XX. Vicarij Foranei omnia ritè, ac decenter adimplere ſtudeant, & ſicuti alijs dignitate præfulgent; ità etiam exemplo eis præeant. Clericos ad ſeruitutem Eccleſiæ hortentur; & vt moribus viuant Clericalibus diligenter procurent.

XXI. Omnia Synodalia ſtatuta in ſua quiſque Congregatione exequi faciant, & ſi quos negligentes, aùt renuentes reperierint, ad Nos deferant.

XXII.

XXII. Quotieſcùmque in Ciuitatem venerint , antè Nos compareant, vt ſi quid pro bono Congregationis regimine, ac diſciplina fuerit ſtatuendum, aùt corrigendum, aùt aliquis abuſus irrepſerit, Nobis pateſaciant.

XXIII. Eccleſias propriæ Vicariæ quotannis viſitare non negligant, obſeruentque, nùm Viſitationis Decreta adimpleantur . Arguant negligentes, eoſque excitent, atquè inter cætera de Chriſtianæ Doctrinę ſtudio (vt in ipſius titulo præcipimus) diligentiſſimè inquirant; fundamentum eſt enim Chriſtiani Ædificij, quod niſi benè docetur, quid quid ſuperædificatur corruat neceſſe eſt.

De Vita , & Honeſtate Clericorum.

Caput XXXVI.

I. NVnc ad illud caput peruenimus in quo agitur de Vita, & honeſtate Clericorum; ſed (eheu) pudet Nos, cùm mores adeò corruptos in ijs videamus, qui cùm deberent eſſe lucerna illa , quæ ſupra candelabrum lucet in domo Dei , ſatius eſſet , ſi his temporibus eſſent ſub modio, ne ſuo tenebricoſo lumine , maiorem offendendi anſam cęteris præberent. Verùm; vt boni in meliùs proueban tur, & corruptorum mores corrigantur, hęc in præſentiarum ſtatuenda decreuimus.

II. Nemo igitùr abſque noſtra licentia habitum Clericalem induere pręſumat, & qui ſecùs fecerit, ipſum habitum deponere adigetur. E' contra, qui prima Tonſura initiatus, beneficium, penſionemuè, vltrà ſexaginta aureos obtinuerit, Ha-

bitum, & Tonſuram Clericalem ſub pœnis prout de iure deferre teneatur.

III. Sciant autem Clerici, & Sacerdotes habitum prędictum talarem eſſe debere, quem non ſolùm in Miſſarum celebratione, ſed etiàm ſempèr per Ciuitatem, & loca inſignia, excepta cauſa itineris, deferre teneantur. Degentes verò in Villis veſtem infra genua deſcendentem adhibeant, talari tamen vtantur, dum in Eccleſijs ſacra munera exercent. Hanc etiam induant cum pari Pallio, dum in Vrbem ingrediuntur, & Nobis ſe ſe præſentare debebunt. Quas Clericales Veſtes nigri, & non alterius coloris, & vndiq; per totum clauſas, ac abſque vllo ornamento ſuperfluo eſſe debere intelligant. Contrafacientes verò irremiſſibiliter ſeuerè puniemus.

IV. Veſtimenta ſubtùs veſtem Clericalem non vanis referta ornamentis, non colorum ſint varietate diſtincta, ſed modeſta, & humilia appareant. Omnis ia[illegible], & ornatus à Clericali ordine ſit alienus.

V. Clerici, & Sacerdotes quòque capillos habeant tonſos; ità vt aures pateant; dedecet enim Clericorum grauitatem, & modeſtiam, vanitatem fouere, comam nutriendo, vel nimis laſciuiendo; nec non in ſummitate capitis Clericam patentem habeant, cuius tamèn magnitudo ſit ſuo ordini, & ſtatui non excedens.

VI. Collaria, & armillæ (vulgò Maneghetti) formam, & magnitudinem conſuetam Clericis morigeratis non excedant, & dictæ armillæ manicis commendatæ, & adiectę ſint. Chirotecæ ſint ſimplices, & neceſſitatem, non fucum redolentes. Nullus annulum deferre audeat, niſi ex titulo ſibi debeatur, & iſte talis, cum celebraturus eſt, annulum deponat. Subbiretum (vulgò Calotta) à nullo cum Miſſa, vel diuina officia celebrat, nec ante Nos deferatur.

VII. Cùm autem res parui momenti ſit capillos recidere, niſi etiàm affectus ſtudeant detruncare, ſcilicet ambitionem, lu-

luxuriam, iram, iurgia, diſſidia, rixas, & cœtera huiuſmodi; & horum loco humilitatem potiùs, caſtitatem, benignitatem, pacem, & Virtutes alias aſſumere; idcircò omnes in Domino hortamur, vt bonos mores exerceant, Virtutes foueant, ac præſertim exemplo alijs præcedere ſtudeant.

VIII. Sacris ordinibus initiati bis per ſingulos Menſes; Minoribus vero ſemel ſaltèm Sanctiſſimis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis animam reficere non omittant.

IX. Proprium quiſque Superpelliceum habeat, quo, miniſterijs Eccleſiaſticis incumbens, ſuperinduatur, ſitque illud mundum, & non lacerum; ſed neq; exquiſiti laboris artificio fabrefactum. Tecti aùtem Superpelliceo Clerici ne diuagentur, neque Sæcularium circulis commiſceantur.

X. Breuiarium, ac libros de rebus ſacris, cùm Clericorum ſint arma, omnes Diœceſis noſtræ Clerici, & Sacerdotes habeant: quæuis alia armorum genera ipſis detinere, & multò magìs deferre prohibemus; quia nihil aliud eſt Clericum armatum incedere, quàm more caſtrorum Eccleſiam cuſtodire; & Chriſti ſeruus, Dei potiùs prouidentia, quam corporali cuſtodia muniri ſe debet.

XI. Et cùm verum ſit illud Euangelij: *qui malè agit, odit lucem*: nemo Clericus, aùt Sacerdos, nocturno tempore circumeat; nemo perſonatus incedat, nemo bacchanalia exerceat; nemo choreas ducat, aùt ducentibus aſſiſtat; omnia denique Eccleſiaſtici deuitent, quæ malè à Sæcularibus poſſint audiri; Hęc aùtem omnia ſub pœnis grauiſſimis, arbitrio Noſtro ſtatuendis, omninò prohibemus.

XII. Sacerdotes nunquàm interſint Comedijs, haſtiludijs, nec profanis, ac ſcenicis Repræſentationibus, quæ hac maximè tempeſtate nihil aliud ſunt, quàm vaſa abominationis: Nebulones, ac Circulatores non audiant; mimis, ioculatoribus, hiſtrionibus non intendant, cantionibus profanis, præſertim intèr nuptias, non incumbant, ne aures, ocu-

liue

ſiue ſacris deputati myſterijs, turpium ſpectaculorum contagione fœdentur.

XIII. Alearum, Taxillòrumque ludos Clerici pœnitùs exhorreſcant; nec non illum, quo lignea pila per circulum ferreum traijcienda curatur; ſimilitèr, & illum, quo pila coriacea inflata vento per aerem multa brachiorum vi impellitur publicè coràm Sæcularibus euitent; ſi exercitij autèm cauſa, aliquandò operàm dare voluerint, his vltimo loco dictis, & ſimilibus ludis, priuàtim hoc eis facere non prohibemus. Venationem clamoribus, ac periculis plenam, Taurorum agitationem euitandam cenſemus, & ea omnia, quę à Sacris Canonibus interdicta ſunt.

XIV. Mercaturæ, & omnia ſæcularia negotia longè à Clericis abſint. Tribunalia verò Laicorum pro cauſis agitandis (niſi hoc pro ſua Eccleſia, & pro miſerabilibus Perſonis, de noſtra tamen licentia, facere cogantur) omninò fugiant: procurationes, & aduocationes omnes deponant: & multo minùs in negotijs profanis Officium Notarij, ſeù Tabellionatus exerceant: Tutelas ne ſuſcipiant: Fideiuſſores quibuſuis Perſonis, ne ſe exhibeant, alioquin Fideiuſſiones huiuſmodi, irritas eſſe declarabimus.

XV. Abſq; licentia Noſtra Iuramentum, ſeù Examen coràm Iudice laico minimè præſtent.

XVI. Poetarum fabulas, ac commenta fictarum hiſtoriarum, illuſiones, & omnes libros, qui vanas res continent, quibus præſens ſæculum nimis infectum eſt, reſpuant; non enìm Ieſu Chriſti immaculati, & veri Dei, & Iouis adulteri laudes inuicem conſentiunt. Potiùs ergò Sanctorum Patrum, ac Sacræ Scripturæ paginas diligentèr euoluant, ex quibus ſalutis adiumenta, & bonorum morum præcepta contrà laſciuos, ſcurrileſque ſermones haurire poterunt.

XVII. Et quià incredibile eſt, quàm malè audiant à Populo Clerici, qui, neglecta propria dignitate, Cauponas frequentant,

in

in quibus obſcœnos ſermones, blaſphemias, & turpes actus cum ordinis dedecore, & animarum detrimento audire, & aſpicere coguntur: idcircò hos Clericos, ſeù Sacerdotes, gradum Eccleſiaſticum proſtituentes, cum impatienti animo feramus; omnes ad Cauponas accedentes, ac in eis ſe detinentes (itinerantibus exceptis) carceribus, & grauioribus pœnis eos coercebimus; & ſi fuerint Clerici in ſacris, aùt minoribus conſtituti; vltrà prædictas pœnas, eos per triennium ad alios maiores ordines ſuſcipiendos, inhabiles declarabimus.

XVIII. Commeſſationibus, cõpotationibusq; Clerici ne dent operam, ſed potiùs vino ſe temperent: Vinum enim ad luxuriam prouocat, mentem alienat, vires eneruat, ebrietaſque tumultuoſa nihil habet, quod ei cum Miniſtris caſtitatis, & pietatis commune habeatur.

XIX. Mulierum ſuſpectarum conſortia, & cohabitationes tanquàm peſtem Sacerdotes, & Clerici omnes fugiant: & ſi non valeant ab earum, quæ ſibi coniunctæ ſunt, cohabitatione abſtinere, ſaltèm eas fugiant, quæ ad domeſticas ventitare conſueſcunt. Artes verò, ac diſciplinas, Fœminas docendi non ſuſcipiant, cum ſit verendum, ne ex ſcientiarum Magiſtris, euadant Diſcipuli Cupidinis. Ancillas non formoſas, non venuſtas, ſed maturæ ætatis, ſi neceſſe ſit, habeant: & qui eas iuuenes domi retinent, protinùs dimittant, ne detrahendi detur occaſio; aliòquin graui animaduerſione punientur.

XX. Hortamur etiàm, vt quantùm fieri poteſt, omnium Sæcularium conuentus, & familiaritates euitent, potiùſque eos orationibus, ac pijs operibus adiuuent, quos amore proſequuntur, quoſque affectionis ſuæ certiores fieri exoptant; nunquàm enim eorum mores corrigere poterunt, quos ſuæ fragilitatis comites habuerint: nec quem ſibi adiunxerint ſocium erroris, facilè habebunt diſcipulum veritatis.

XXI. Monaſteria Sanctimonialium Sacerdotes, & Clerici non adeant, nec Moniales ipſas abſque Noſtra in ſcriptis licen-

tia;

tia; niſi primo, aùt ſecundo gradu coniunctæ fuerint, alloquantur; ſub pœna Suſpenſionis, Nobis ipſis reſeruata, eò ipſo incurrenda, etiàm quòad Regulares, quibus licèt Monialium conſanguinei ſint in primo, & ſecundo gradu, licentiam Noſtram in ſcriptis, neceſſariam eſſe non eſt dubitandum.

De Peregrinatione, & Clericis Peregrinantibus.

Caput XXXVII.

I. ABraham, qui anteà Abram dicebatur natus eſt in Vr Chaldeorum, & indè egreſſus, habitauit in Haram. Huic imperauit Deus, vt exiret de Terra ſua, & de cognatione ſua, & de Domo patris ſui; & poſteà addidit; & veni in Terram, quam monſtrabo tibi. Ex quibus verbis docemur, Abraham habuiſſe Deum ſuæ peregrinationis Ducem, noſque, Conſcientia noſtra imperante, quæ à Deo mouetur, cœleſtem Ducem implorare debere, cùm iter facere voluerimus; vt corporis, & animæ pericula, quæ, Dœmone machinante, ſempèr ſunt obuia, euitare poſſimus. Et Nos ergò in hac parte peregrinantibus pro Officio Noſtro Paſtorali prouidere volentes, Deo adiutore, hæc pauca ſtatuimus.

II. In primis Clericos, omneſque ſubditos Noſtros, qui longam Peregrinationem aggredi voluerint, hortamur, vt non abſque Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis ſe itineri committant. Clerici aùtem, & Sacerdotes Dimiſſoriarum Noſtrarum teſtimonium habeant, & in ipſius viæ introitu, Itinerarium ex forma Breuiarij deuotè recitent: Sæculares verò

ijs,

iis, aut alijs deuotionibus Deum ſibi Ducem, ac propitium reddere conentur.

III. Dum autem peregrinantur, tales ſe præbeant, vt non externo tantùm cultu; ſed interno quoque ſuſcepti itineris, deuotionem, & pietatem, cauſam fuiſſe demonſtrent. Sacerdotes quotidiè, dùm tempus, & locus patietur, Sacrum celebrent, Officiumque diuinum perſoluant: Omnes autem Angelicis Salutationibus Beatam Virginem Mariam ſæpe ſepiùs, & deuotiſſimè deprecentur.

IV. Peregrinus bonis ſe comitibus adiungat; malos euitet, profanis collocutionibus abſtineat, potiùſque ſermones ſpirituales inter ſe conferat, ſi habeat ſocios; ſin ſolus peregrinetur, pias animo meditationes euoluat.

V. Nec Sacerdos, nec Clericus oſtiatim Eleemoſynam quæritet, niſi coactus neceſſitate, aut niſi Voto, aut alia cauſa, per Nos probata, hoc facere teneatur.

VI. Hoſpes cùm ad aliquem locum hora veſpertina peruenerit, antequàm ad hoſpitium diuertat, Eccleſiam viſitet, ibique Litanias, aut alias Preces Omnipotenti Deo faciat. Publicas Cauponas, quantùm fieri poteſt, effugiat; potiùſque ad Religioſos recurrat pro diuerſorio. Cùm pranſurus eſt, aùt cœnaturus, Menſam de more benedicat, & in fine Deo gratias agat. In omnibus deniquè ſe talem demonſtret, vt non habitu ſolùm, ſed vita quòque, ac moribus Clericus agnoſcatur.

VII. Cùm ad locum, cuius cauſa Peregrinatio ſuſcepta eſt, peruenerit, Eccleſiam adeat, & flexis Deum genibus adoret: poſtea, capta quiete, confiteatur, ac celebret; Reliquias, ac res alias ſacras veneretur; & pro Nobis etiàm Deum, & ſacra illa Pignora deprecari dignetur.

VIII. Ad alias regiones vagabundus non migret, nec curioſitate trahatur, ne ſtudio externas res inquirendi, deuotæ Peregrinationis meritum amittat.

IX. Reuerſus deniquè in Patriam ad Nos veniat, & acceptas à Nobis Dimiſſorias, & illas, quas Epiſcopus, aut Rector Eccleſiæ, ad quam peregrinatus eſt, dederit cum Teſtimonio Peregrinationis eò factæ, coràm Nobis præſentet.

De Seminario Clericorum.

Caput XXXVIII.

I. CVm in Puerorum educatione magna ſit cura adhibenda, ne à teneris vitioſus habitus induatur, qui, cùm ætate creſcens, totum deniquè hominem poſſideat, ac inficiat: nàm *quo ſemèl eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diù*; idcircò ad reformandam Eccleſiaſticam diſciplinam, illamque propagandam, Tridentini Concilij Patres Seminaria inſtitui decreuerunt, in quibus iuueniles animi tanquàm noualia in agro Chriſtiano, ſi vigili cultura, & ſemine Euangelij exerceantur, minimè dubium erit, quìn fœcundiſſimi reddantur; at ſi neglecti iaceant, vitiorum ſpinas, ac tribulos germinare. Quamobrèm in re, tàm ſeria, Nos quàm maximè ſolliciti, hæc obſeruanda decreuimus.

II. Primò ſciant omnes, & ſinguli Beneficia Curata, ſiue non Curata obtinentes, ſiuè ſint Hoſpitalia, etiàm merè Laicalia, ſiue Monaſteria, etiàm Mendicantium, ſiue Confraternitates, etiàm in Eccleſijs Regularium exiſtentes, quæ redditus Eccleſiaſticos, etiàm Iuriſpatronatus, percipiant, quacumque Dignitate, etiàm Cardinalitia præfulgeant, ex præſcripto Sacroſancti Concilij Tridentini ad contribuendum Seminario teneri. Quæ contributio, cùm ſit Decima, eam de Quadrimeſtre in Quadrimeſtrem anticipatè ſolui iubemus: aliàs per cenſuras

Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia contrà renuentes ex forma Concilij eiuſdem procedemus.

III. Nemo autem reſignatione, applicatione, vnione, aùt alio quouis modo, impedire audeat vniones particulares, non aùtem generales Beneficiorum ſimplicium, Præſtimoniorum, ſeù præſtimonialium Portionum, etiàm reſeruatorum, ſeù affectorum, etiam antequàm vacare contingat.

IV. Rationes redditiuum, & expenſarum ab Æconomo Nobis quotannis reddantur, Æconomuſque diligentèr inuigilet, ne huiuſmodi redditus inanibus, ac ſuperfluis ſumptibus dilapidentur: recordeturque ſe, Chriſti Patrimonium præ manibus habere, cuius quàm maxima ratio reddenda erit.

V. In Seminario nullus, niſi ex legitimo Matrimonio natus, antè duodecimum annum, & cuius non ſit ſpes fore, vt Eccleſiaſticis Miniſterijs ſedulam operam nauet, recipi debeat. Stipendium aùtem ſoluatur pro alimentis anticipatis ſemeſtribus. Quòd ſi aliquandò, Deo afflante, tantùm augmenti Seminarium acceperit; vt commodè nonnullos ſinè ſtipendio alere poſſit (quod faxit Deus, vt eueniat) iſtos non antè recipi volumus, quàm legitimam fideiuſſionem præſtiterint ſoluendi omnes expenſas, quas Seminarium eis fecerit, ſi ad ſæcularia vota tranſierint.

VI. Rector ſedulò curet, vt Pueri, quos educat, ſemel ſaltèm ſingulis menſibus propria peccata Sacerdoti deferant; &, ſi ætas patiatur, Euchariſtiæ Sacramentum ſumant: vt omnes alternatim Officium B. M. V. quotidiè recitent: vt alias deuotiones agant: vt ſtudijs aſſiduè dent operam: lectiones, compoſitiones, & alia munia, Diſcipulorum propria, diligènter exerceant. In primis aùtem eos adigat ad obedientiam, & modeſtiam, & vt Silentium ſtatutis horis colant, & obſeruent. Tardos ſollicitet, contumaces arguat, incorrigibiles reprobet: benè operantes, & in virtutibus proficientes laudibus pelliciat, & præmijs accendat. Si qui verò inueniantur, qui ſuis inordi-

natis moribus ſine cœteris in perditionis exemplum ; eos ad Nos deferat, qui ne totum corrumpatur ouile, eos aliò diuerti curabimus.

VII. Nunquàm niſi veſte talari, & gregàtim, aùt ſaltèm bini extrà Seminarium prodeant: quod expreſsè, & ſub graui pœna illi mandamus.

VIII. In Eccleſiaſticis Miniſterijs Seminariſtæ cœteris Clericis præcedant: in publicis aùtem Proceſſionibus antè Clerum Sæcularem progrediantur: Tempore aùtem vacationum abſquè Noſtra benedictione, & licentia non diſcedant, & extrà Seminarium veſtem Clericalem deferant. Tempore aùtem ſtudiorum, nemini abſq; noſtra licentia extrà Seminarium liceat pernoctare.

IX. In omnibus deniquè ea obſeruentur, quæ à Sacroſancto Tridentino Concilio ſuper hoc decreta ſunt, neq; vèl punctum ab eo diſcedatur. Has aùtem noſtras Synodales Conſtitutiones, quæ ad Seminarium ſpectant, ſingulis mènſibus vnà cum Decreto eiuſdem Concilij, & noſtras particulares Conſtitutiones publicè legant; vt ſæpiùs repetita, tenàcius memoriæ infixa remaneant: hocque fieri etiam, atque etiam præcipimus, & imperamus. Insùper ſupplices antè Deum ingemiſcimus, vt Sobolem, quæ ad hoc Seminarium futuris temporibus educanda conuenerit, & ea quæ in præſenti reperitur ſua benignitate fouere, & protegere dignetur; vt indè fructus maximus ad Meſſem reducatur, & ſacrarum rerum doctrina Populus tandèm ad ſaturitatem valeat manducare.

De Confraternitatibus, ac Locis pijs.

Caput XXXIX.

I. DOminus Ieſus in Euangelio Matthæi ità inquit: *Si duo, vèl tres conſenſerint ſupèr terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo*. Et in eodem loco: *vbi duo, vèl tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorùm*. Quibus ex verbis Saluator noſter voluit nihil aliud ſignificare, quàm approbationem illorum Congreſſuum, qui à pijs hominibus ad Dei laudem, & Sanctorum fiunt; prout etiam ſancta eius Eccleſia approbat, & confirmat; hac enim ratione ſe veniam facilius impetrare, & fidelem promiſſis Deum Nobis in vnum ſupplicantibus, fore confidit. Hoc autem inſtitutum, ne ab iniquorum hominum malitia ad finem ab Eccleſiaſtica diſciplina alienum, detorqueatur, hæc de Confraternitatibus in primis obſeruanda decernimus.

II. Si in Ciuitate, & Diœceſi Noſtra aliqua eſſet Confraternitas, ſinè Sedis Apoſtolicæ auctoritate, aùt Noſtra, Prædeceſſorumuè noſtrorum erecta, hanc omninò inualidam declaramus; ex huiuſmodi nàmque cœtibus, ſiuè conuenticulis nulla Religionis, Pietatiſq; imago, aùt exemplum enaſci poteſt. Vna tantùm, & non plures eiuſdem generis in vnoquòque loco inſtituatur, ac pro Litteris inſtitutionis nihil omninò accipiatur. Indulgentiæ autem, ſi quæ fuerint, ſinè conceſſione Noſtra publicari non debeant.

III. Vnaquæque Schola habeat idoneum Sacerdotem à Nobis

Commeſſationes, Conuiuiaque omninò fugiant; & qui adminiſtrant, librum vnum, ſeu plures habeant, in quo, vèl in quibus donata, oblata, legataue omnia, bona mobilia, & immobilia, Expenſas omnes, Fratrum, & Sororum nomina; nec non terminationes, vèl ſtatuta per ſuum Scribam connotentur.

VIII. In ipſorum Oratorijs non aſſeruetur, nequè exponatur, nequè in Proceſſionibus circumferatur SS. Euchariſtiæ Sacramentum, niſi id à Nobis fuerit permiſſum, & tùnc Sacerdos à Nobis approbatus ibi reſideat.

IX. Toto maioris Hebdomadæ ſpatio ab Euchariſtię adminiſtratione, & tribus poſtremis diebus à celebratione abſtineatur. Benedictionem Candelarum, Ramorum, Ouorum, frugumuè ſub pœnis arbitrij Noſtri fieri prohibemus.

X. Oneribus, ſiuè ex legato, ſiuè alia de cauſa debitis, omninò ſatisfiat. Anniuerſaria, Eleemoſynæ, & alia pia, ac debita officia non omittantur. Confratribus, qui neceſſitate laborant, aliorum Sodalium charitate, etiàm de proprijs ſubſtantijs ſubueniatur.

XI. Miniſtri autèm, & Rectores aliorum piorum locorum, ſtudioſam, ac ſedulam in ijs adminiſtrandis operam ponant, vt non à propria, ſed potiùs locorum vtilitate detineri videantur: quod enim pium eſt, pietatem, ac fidem requirit miniſtrorum. Itaquè in ſuo munere itá verſentur, omniaque officia itá adimpleant, vt promiſſioni in ſuſcepto munere factæ ſatisfeciſſe videantur: aliter rei malè adminiſtratæ Deum Iudicem, ac vltorem expectent.

XII. Loci pij titulum poſſidere permittimus omnia loca, quæ nequè in fundatione, nequè in erectione, aut alio modo deficiunt, officijſque charitatis addicta ſunt. Horum bona publicè proponantur locanda, & omnes, debitoribus exceptis, ea conducere poſſint, & fideiuſſionem præſtare teneantur.

XIII. Mutuum dare locis pijs interdicimus, etiàm ſi mutuan-

tuantes fuerint Vniuerſitates, aùt ex quacumque alia cauſa; & Rectores, ſeù Adminiſtratores, qui contra Conſtitutionem hanc facere auſi fuerint, ſe obligatos ad redintegrationem loco pio eſſe ſciant.

XIV. In his pijs locis Pauperes alantur; Eleemoſynæ ad præſcriptum Teſtatorum erogentur: Fœminæ à Viris ſeparentur: & doctrinam Chriſtianam Pueri edoceantur.

XV. Domos verò, atquè ædificia reparari; bona amiſſa, aùt ab alijs occupata, aùt iniuſtè alienata recuperari; deniquè omnia ea, quæ in Tridentino, ac Viennenſi Concilijs conſtituta ſunt, exequenda mandamus.

DE MENDICANTIBVS.

Caput XXXX.

I. CVm quoddam profligatorum hominum genus, hac noſtra in Diœceſi verſari, non ignoremus; qui vèl natura, vèl arte ignaui, ac laborum fugitantes, ſimulatis morbis; modò cœcos, modò mancos ſe, & claudos fingunt, vt fidelium animos ad charitatem, & commiſerationem excitent, ac clamore magno, querelaque ſtipem extorqueant. Nos Ciuitati, ac Diœceſi Noſtræ, etiàm in hac parte prouidere volentes, ne, quod pauperibus debetur, ab iniquis, & prauis hominibus abſorbeatur; idcircò nullus Mendicantium deinceps in noſtra Ciuitate, vel Diœceſi, ſinè Noſtra in ſcriptis obtenta licentia, audeat mendicare; præſertim verò in Eccleſijs, dùm Miſſæ celebrantur, & diuina officia recitantur: & ſi quis adeò temerarius fuerit, vt nihilominùs per eas, Eleemoſynas quæritet, hunc omnino extrudendum imperamus.

II. Vſum publicandi Indulgentias, pulſandi Campanulas, benedicendi Animalia, omnibus Eleemoſynarum quæſtoribus, hoc noſtro Decreto annullamus. Prohibemus etiàm Regularibus, qui intrà Diœceſim Noſtram domos, aùt Conuentus non habent, mendicàre. Eleemoſyna aùtem non exigatur tanquàm ſolita, aùt debita; nec vlla arte, aùt fuco erogetur; neq; ſupèr ea quoquomodo tranſigatur.

DE REGVLARIBVS.

Caput XXXXI.

I. QValis vita eorum ſit, qui in Monaſterijs ſe Dei ſeruitio emanciparunt, vel ex hoc maximè colligi poteſt, quòd omnibus, quæ in hoc Orbe terrarum meliora putantur, abiectis, nequidèm libertate retenta, vltrò ſe alienæ poteſtati obligarunt, vt mortui ſæculo, vitam libertatemque tutiorem, inter vincula Religionum inuenirent: Hoc ſanè vitæ genus tale eſt, quod, ſi in cortice conſideretur, mors potiùs, quàm vita dicenda videatur: at ſi intùs bona ſpiritualia, quibus fruitur, contemplabimur; non hominum; ſed Angelorum ſtatus vocandus eſt. Hi profectò ſi inter aduerſantis Sæculi vndas, & immundorum flatus ſpirituum conſtantes perſeuèrent, nullum laudis genus eſt, quo proſequi non mereantur: sin verò clauſtrum deſerant, nihil peiùs inueniri poteſt. Quæ cùm ità ſe habeant, omnes Regulares in Domino enixè rogamus, & obteſtamur, vt non ſolùm diſciplinam, quam amplexi ſunt, teneant; ſed eius quòque, qui eam inſtituit ſanctitatem, & innocentiam ſectentur; vt eo Duce, ad Patriam cœleſtem, quaſi ad fidam Stationem læti perueniant.

II. Quià verò electio Status monacalis deſuper eſſe debet, hinc Patres hortamur, vt Filios, à Religione alienos, ad Monaſteria ne ducant; quod enim quis non eligit, nec appetit, hoc profectò non diligit; & tantùm abeſt, vt tales peccata ſua lacrimis eluant, vt etiàm in maiora labantur. Quaprôpter attentè curandum eſt, vt electio ſit ſpontanea, & non coacta; nè intuitu rei familiaris ſubleuandæ, anima Parentum, & Filiorum grauetur; cùm in hoc non maximè diſtet à vitio, vel decipere poſſe, vel decipi.

III. Qui veſtem Regularem indutus, eam prætextu nullitatis Profeſſionis exuere velit; Nos intrà quinquennium, illum cum ſuo Superiore, innixi auctoritate iuris, benignè audiemus, ſed, vltrà hoc tempus, eidem aures non porrigemus.

IV. Si quis autèm propriæ conditionis oblitus, & Voti abſquè ſuorum Superiorum permiſſu, vagari, & magno cum ſcandalo, & illùc apoſtatando luxuriari, non erubeſcet; è noſtra Diœceſi ſtàtim diſcedat, nèc amplius reuerti audeat, ſub pœna Suſpenſionis infligenda, & alijs arbitrio Noſtro: quod etiàm de Receptatoribus intelligi volumus.

V. Noua Monaſteria abſque permiſſu Noſtro non erigantur, nequè extruantur, & niſi priùs, non ſolùm veterum Monaſteriorum Priores, ſeù illorum Procuratores, in locis, vbi fit erectio, exiſtentium; ſed etiàm in alijs, per quatuor milliaria circumuicinorum, vèl illis deficientibus, incolæ illius loci aduocentur, & audiantur, conſtetque Nobis, tale Monaſterium erigendum, victum, & commodum duodecim Fratribus miniſtrare poſſe. Hæc aùtem, propter Diabolicas artes, procùl à Sanctimonialium Monaſterijs, ædificentur.

VI. Intrà Monaſterij Septa, Sacriſtia, Horti, Viridaria, Vineæ concludantur, & nullus Fœminarum illùc ingreſſus admittatur; earum enim conſuetudo mentem perturbat eorum, quorum eſt, mundum lugere; Domini iudicium pauidè expectare, & peccatorum maculas lacrymarum vi delere. Sciant autem

tàm

tàm mulieres ingredientes, quàm Regulares eas admittentes Excommunicationis,& Suſpenſionis pœnam reſpectiuè,effugere minimè poſſe.

VII. Regulares, abſquè noſtro conſenſu, & approbatione, ad animarum curam non admittantur,& tùnc omnibus Noſtris Decretis, tàm ijs,quæ ad Parochorum munus pertinent, quàm cœteris, quæ ad Populorum regimen ſpectant, parère teneantur; nam in ijs, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem, & regimen animarum ſpectat, Nobis ſubditi ſunt, vt etiàm illi, qui incolunt Conuentus, qui numerum duodenarium non habent, poſt Decretum hac de re à Summis Pontificibus emanatum.

VIII. Ipſis Regularibus Euchariſtiæ Sacramentum exponere, niſi ex publica, & per Nos probata cauſa vetitum eſt; ſicùti etiàm Matrimonij, Extremæ Vnctionis, & Euchariſtiæ Sacramenta, ſinè licentia Parochorum infirmis, ac cœteris miniſtrare, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, prohibemus.

IX. Tertiarij, Correggiati, Cordellati, alijque in domibus proprijs degentes, obligentur à Regularibus ad præſtandam Parochiali Eccleſiæ obedientiam, Paſchali tempore communicando.

X. Sacerdotes aduenæ, & qui non ſunt cogniti in Diœceſi noſtra, ad Sacrum faciendum, Nobis inſcijs, non admittantur.

XI. Non audeant Regulares in alienis Eccleſijs ſinè noſtra licentia concionari, nequè in ſuis ſinè noſtra benedictione, ſub pœnis arbitrio Noſtro ſtatuendis. In Concionibus àutem non præſumant retrahere Laicos ab Eccleſiarum ſuarum acceſſu, & frequentia; non Indulgentias, non Reliquias, non noua Miracula promulgare,niſi ijs à Nobis cognitis,& admiſſis; Cùm Teſtatoribus adſtant, ne eos hortentur ad legata, ſuis Monaſterijs quomodòlibet facienda, nequè à pijs Legatis, Eccleſijs

Matricibus, ſeù alijs faciendis, dehortentur: & hæc omnia diſtrictiùs inhibemus ſub pœnis, contrà eos, ab eorum Regula ſtatutis.

XII. Confeſſiones, niſi priùs à Nobis fuerint approbati, non audiant: A caſibus autèm, Apoſtolicæ Sedi, aùt Epiſcopo reſeruatis, abſoluere non poſſint, nec audeant.

XIII. Si Regularium alicui ſint ordines recipiendi, conſecranda Ecclesia, Cœmeteriumque, primus lapis ponendus, aùt Confirmatio adminiſtranda, vèl alia, quæ ad ordinem Epiſcopalem ſpectant, exequenda, intrà Diœceſim noſtram; pro his omnibus, ac ſingulis ad Nos accedant.

XIV. Cùm ex mandato Noſtro publicę fiunt ſupplicationes, præſtò ſint Regulares; & ſi quos dies decreuimus feſtos, tales ſint etiàm apud ipſos; ieiunia Eccleſiaſtica paritèr ſeruare teneantur: Officium S. Titiani, Eccleſię Cenetenſis Patroni, ſtatuto die recitare non omittant.

XV. Cùm eos, qui extrà Monaſteria degunt, noſtræ Iuriſdictioni ſubeſſe, Tridentini Concilij Decreta declarent; his talibus ex auctoritate Nobis tradita imponimus; vt habitum non deſerant; modeſtiam, humilitatem, caſtitatem, cultumque religioſum non obliuiſcantur; vt à ſcandalis caueant, Sæcularium congreſſus fugiant, ab ijſque omnibus, quæ Nos ad ſeueram animaduerſionem inducere valeant, quàm ſedulò abſtineant.

XVI. Superiores quòque hortamur, vt ſubditos ſuos, intrà Monaſterij ſepta viuentes, à noxijs criminibus, & Plebem ſcandalo offendentibus, remouere ſtudeant, niſi malint, Nos ex SS. Domini Noſtri Clementis VIII. Decreto, contrà eos procedere.

XVII. Hoc loco multa de ratione vitæ Sanctimonialium, de Clauſuræ cuſtodia, & communi rerum gubernatione, Nobis eſſent decernenda, & omnia, vigili ſtudio, & accurata diligentia, huic tractatui de Regularibus, connectenda; ſed ea ab-

un-

unde in libello ſuorum ordinum ad ipſarum intelligentiam complexi ſumus: atquè ad præcepta in ipſo libello contenta, Moniales Diœceſis Noſtræ iure teneri, etiàm ex præſentis Synodi auctoritate, ſtatuimus.

XVIII. Sciant insùper Regulares omnes, eis non licere, neque per breue ſpatium temporis, cum Monialibus, etiàm ſui Ordinis, aùt cum Sæcularibus, exiſtentibus in Monaſterijs Monialium, colloquium habere ex qualibet cauſa, abſque Sedis Apoſtolicæ, ſeù noſtra reſpectiuè licentia ſub pœnis in Pontificum Conſtitutionibus contentis, quod eis etiàm, tàm ordinaria, quàm delegata auctoritate, diſtrictè interdicimus, ac pœnas in titulo de vita, & honeſtate Clericorum circà hoc ſtatutas, innouamus.

XIX. Insùper ſciant Regulares omnes, eis non licere abſque noſtra in ſcriptis licentia, Miſſam celebrare in Eccleſijs Monialium, noſtræ curæ ſubiectarum.

DE VOTI EMISSIONE.

Caput XLII.

I. CVm noſtræ ſit voluntatis vouere, vel non; certum tàmen illud eſt, quòd, vota iam emiſsa, ſoluere, ſit neceſſitatis, quæ à principio fuerunt libertatis. Vndè eſt illud in Eccleſiaſtico, ſcilicet: *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere; diſplicet enim Deo ſtulta promiſſio*. Votiua ergò promiſſio maxima ingenij maturitate debet conſiderari, ne temerè, ac velùti quodam animi impetu fiat: ſed potiùs prudenti deliberatione, dimenſiſque propriæ Naturæ viribus, ſuſcepta eſſe videatur: aliquandò enim accidit, Vt Vota tàm lubrico curſu, atq; animi impetu emittantur,

vt

vt in obſeruando impoſſibilitatem, & in negligendo periculum inueniantur habere.

II. Vt autem Vota ſint valida, interueniant neceſſe eſt rationis deliberatio, voluntatis intentio, & cordis, aùt oris promiſſio; ità,vt,qui ſolo mentis conceptu, ſinè ratione, ac voluntate aliquid exequi cogitauerit,non ſit tranſgreſſor habendus, ſi illud non adimpleuerit.

III. Qui ratione Beneficij reſidere tenentur, non niſi noſtro placito ad perſonalia Vota ſe adſtringant; & Coniugati, non niſi ex communi conſenſu voueant; cùm neuter ſui corporis poteſtatem habeat; ſed alter in alterius dominium translatus ſit; Deus autem id non exigit, quod ex alieno quis vouerit.

IV. Ab Vniuerſitatibus Vota, Nobis inconſultis, & abſque Noſtra approbatione, non emittantur; & aliter facta, tantùm Auctores, non verò Succeſſores, teneri declaramus; quod Parochi, & Confeſſores aduertere non deſinant.

DE IVDÆIS.

Caput XLIII.

I. QVàm deprauata, & damnata ſit Iudæorum natura, & animi perfidia, ex ore ipſius, qui veritas eſt, oſtenditur, ait enim. Io: 8. *Vos ex patre Diabolo eſtis*; Ex quibus ſumma illorum iniquitas oſtenditur: ſi enim qualis eſt Pater, tales ſunt Filij, quid Hæbreis poteſt eſſe peiùs, cùm patrem Diabolum habeant? Eccleſia tàmen eos tolerat, & Nos in hac Ciuitate toleramus, dummodò intrà legum limites ſe contineant.

II. Volumus itaque, ſicut ſunt extrà gremium ſpiritualis

Eccleſiæ, ità eos longè abeſſe à Templis materialibus, vnà cum eorum domibus, ac Synagogis, quarum vna tantùm, & eam ex antiquis habere concedimus.

III. Vetamus Hæbreis alienos Pueros circumcidere, publica munera exercere, pignora antè decimum octauum Menſem licitari, illo triduo maioris hebdomadæ in publicum prodire. Feneſtras aùtem Apothecarum, aùt oſtia aperta tenere, ne audeant diebus, qui à Nobis feſtiui celebrantur, & in eis nihil ſe uile publicè faciant. Chriſtianas nutrices, & Chriſtianos famulos, vel famulas habere prohibemus; vſuraſque, modum excedentes, prohibemus; & quòd maximum in primis eſt, orthodoxam Fidem peruerſo dogmate impetere ne audeant; nihil deniquè faciant, quod Chriſtianis graue, & oneroſum eſſe poſſit, ſub pœnis iam ſtatutis, & arbitrio Noſtro ſtatuendis.

IV. Libros rationum materno Regionis idiomate, non hæbraico ſcribant; menſes eorum triginta dierum numero computentur; ad Concionem vocati, adeſſe teneantur, & rubrum in capite Pileum, quod eſt Hæbreorum ſignum, geſtare mandamus.

V. Cathecumeni, antequàm Fidei Sacramento abluantur, octo menſium ſpatio inſtrui debeant, & ſi intrà hoc tempus, eos decedere contigerit, Eccleſiaſtica careant ſepultura, eorumque cadauera ſinè precationibus abducantur. Illi verò, qui Baptiſmi Sacramento abluti fuerint, à Moſaicis ritibus ſubmoueantur, & qui pòſt ſuſceptam Fidem, ad Iudaiſmum rediret, pòſt canonicam monitionem factam, inter hæreticos numeretur.

VI. Nulli Chriſtianorum liceat ad eorum Synagogas, Conuiuia, Choreas acceſſum habere, Matrimonia eorum opera tractare, Medicis Hæbreis vti, agros, & bona Eccleſiaſtica ipſis locare, aùt ſacram Supellectilem pignori dare, & accipere omninò vetamus.

VII.

VII. Quàmuis aùtem ſummum pietatis officium ſit eorum Conuerſionem super omnia curare, nolumus tàmen eos ad hòc violenter trahi, aùt in ſuorum rituum, feriarumue cultura impediri, aùt Sabbato in iudicium adduci, aùt eorum ſepulcra violari, & effodi, aùt deniquè in bonis ſuis offendi; & in omnibus, & per omnia Apoſtolicas Noſtras, & Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, & Capitula inuiolabiliter obſeruari, mandamus.

DE IVDICIBVS SYNODALIBVS.

Caput XLIV.

I. IVdicès Synodales, prout Nobis à iure traditum eſt, & à Sacro Concilio Tridentino præſcriptum, ad cauſas à Summo Pontifice, & à Legatis, ſiuè Nuntijs in partibus delegandas, audiendas, & definiendas, & ad hoc, vt à Regularibus in ſuos Conſeruatores nominari poſſint, deputamus N. N.

II. Hos aùtem ad diligentiam, & celeritatem in expediendis negotijs, ſeruato tâmen iuris ordine, hortamur, vt eorum Sollicitudine, ac cura, diſpendia euitentur; & vexationes arceantur.

DE

De Conſtitutionibus Synodalibus.

IN munere, ad quod elegerat, confirmaturus Deus Ieremiam Prophetam, ſic cum locutum comperimus: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te ſuper Gentes, & ſuper Regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*. Vobis quoquè in adiutorium noſtrum ſuper Gregem, Nobis commiſſum, conſtitutis, pariformiter indicimus: ecce dedimus verba noſtra in ore veſtro, vt deſtruatis, & diſperdatis, quæ deſtruenda, & diſperdenda ſunt; & ædificetis, & plantetis, quæ attinent ad Gregis ſecuritatem, & ſalutem; cuius rei gratia Vos hìc congregatos, & confertos eſſe, curauimus. Quapropter ab vnoquòque veſtrum ſedulior opera præſtanda eſt, vt quæ diuino fauore decreuimus, quàm efficaciſſimè doctrinæ, & exemplo firmetis; ne ſupremus adueniens Paſtor, eò quod non conſolidaſtis, quod infirmum fuit, non ſanaſtis, quod ægrotum, quod perierat, non reduxiſtis; Gregis ſui ſanguinem de manu veſtra requirat.

Quocircà mandamus vniuerſis, & ſingulis Nobis ſubiectis, vt Decreta, & Conſtitutiones Noſtras prædictas, pòſt duorum menſium interuallum elapſum à die publicationis, non expectata alia iuſſione, aut mentis Noſtræ deliberatione, ſub pœnis in eiſdem contentis humiliter recipiant, & ſtudioſè obſeruare procurent; illis nihilominùs Prædeceſſorum noſtrorum, & præcipuè Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. D. Leonis Anteceſſoris noſtri immediati meritiſſimi, alijſque à

Nobis Viſitationis, aliauè de cauſa promulgatis; quæ tamèn
præſentibus non ſunt contraria, firmis, ac in ſuo robore per-
manſuris. Quæ omnia à Nobis edita, ea debita, qua tenemur,
reuerentia Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ,
omnium Eccleſiarum Matris; cuius eſt de vero ſenſu, & inter-
pretatione Scripturarum iudicare, correctioni, & caſtigationi
deuotè ſubmittimus.

Declarantes inſuper, quod eos, qui quæcumque à Nobis
præcepta, vèl vetita culpabilitèr, aùt auſu temerario offende-
re, aùt violare præſumpſerint, durioribus pœnis, quàm
ibi ſint expreſsæ, aggrauabimus, ac etiam prout iuri, ac ra-
tioni conſonum fuerit, ad diminutionem, & temperantiam re-
ducemus.

Præcipimus prætereà Parochis, ac omnibus animarum cu-
ram exercentibus, nec non Beneficiatis ſimplicibus, ſacriſ-
què ordinibus initiatis, ne ignorantiæ excuſationem præte-
xere valeant, vt eorum quiſque infrà duos menſes à die im-
preſſionis harum noſtrarum Synodalium Conſtitutionum, li-
bellum ſibi prouideant, eumque ſæpè præ manibus habeant,
peruoluant, ac mente digerant: dùm interim, fratres cha-
riſſimi, qui in vnum eſtis, vobis omnem à Deo precamur feli-
citatem.

DE

DECLARATIO

S. Congregat. ſuper Reliquijs, & Feſto Martyris conſtituendo.

PEtitum fuit à Sacr. Rituum Congregatione declarari, an Epiſcopus poſſit ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum Feſtum alicuius Sancti Martyris, de quo aſſeruetur Reliquia inſignis in Eccleſia? & an Tibia ſit Reliquia inſignis? Et Sac. Congregatio reſpondit: Quo ad primum negatiuè; immo neque poſſe de eo celebrari Officium, & Miſſam in die ipſa Martyrij, vel obitus, niſi Reliquia ſit de Sancto deſcripto in Martyrologio Romano, & conſtet de identitate Reliquiæ eiuſdem Sancti. Ad ſecundum pariter negatiuè iuxta Rubricas in Miſſali, & Breuiario Romano impreſſas. Die 3. Iunij 1662.

Ita reperitur in Regiſtris Congregationis Sac. Rituum. In quorum fidem &c. Hac die 31. Maij 1681.

Bernardinus Caſalius Sec.

DECRETVM

Generale

Super eadem materia.

CVm Sacrorum Rituum Congregationi innotuerit quamplures abuſus irrepſiſſe circa recitationem Officij ſub prætextu Decreti ab eadem Congregatione euulgati de anno 1630.; & in Breuiario Romano impreſſi ; in quo permittitur poſſe in Eccleſia recitari Officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, aut Reliquiæ inſignes aſſeruantur : Eminentiſſimi Patres eidem Sac. Congregntioni Præpoſiti ijſdem abuſibus euellendis præcipuè intenti, inhærendo Decretis aliàs in ſimilibus editis, declararunt prædicta Officia Sanctorum ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquiæ recitanda ; intelligi debere de Sanctis dumtàxat in Martyrologio Romano deſcriptis ; & dummòdo conſtet de Identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmèt Sancti , qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus . De cœteris autèm Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aùt quibus à Sancta Sede non fuerit ſpecialitèr conceſſum , Officia recitari , & Miſſas celebrari vetuerunt, non obſtante, quòd ipſorum corpora , vèl inſignes Reliquiæ in Eccleſijs aſſeruentur : Quibus tamèn ab Ordinarijs locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactènus ſeruatum eſt) exhibendam eſſe cenſuerunt , ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto re-

recitandi Officium, alijſque in Conſtitutione B. Pij V. contentis. Die 11. Auguſti 1691.

A Epiſc. Oſtien. Card. Cybò.

Loco ✠ Sigilli.

I. Villemanus Secr. Rit. Cong. Secret.

DECRETVM

S. Congregationis ſuper Indulgentijs.

CVm à Sac. Congregatione Indulgentijs, ſacriſque Reliquijs præpoſita Cameracenſis Archiepiſcopus quæſiuiſſet, quæ vis, & ſententia Clauſulæ, quæ hodie Breuibus Indulgentiarum apponi ſolet; « Volumus autem vt ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vèl ad tempus nondum elapſum duratura, concesſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint » S. Congregatio, rè diligentiùs examinata, Clauſulam ſic explicandam cenſuit, ſi videbitur Sanctiſſimo Domino noſtro. Ea minimè contineri Altaria priuilegiata pro Defunctis; neque Indulgentias, aùt certo Perſonarum generi conceſſas, vt Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aùt certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, vt Litanias, aliaſuè huiuſmòdi preces recitantibus, ac ijs, qui Chriſtiana Doctrina erudiuntur, & qui Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti Expoſitioni cum Oratione quadraginta horarum interſunt, neqùè Stationum Vrbis,

bis , & ſeptem Altarium Indulgentias , inſtàr ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas , neque demùm , quæ pro vnica vice conceduntur . Cœterùm ſi alia Indulgentia , ſiuè plenaria , ſiuè non plenaria , in perpetuum , vèl ad tempus , tùm ab eodem , tùm ab alio Romano Pontifice , generàtim Chriſti fidelibus Eccleſiam , vèl aliquod eius Altare , ſeù Capellam viſitantibus , eodem anni die , vèl diuerſo, conceſſa fuerit , de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio has litteras ob adiectam Clauſulam eſſe prorſus irritas , ac nullas . Datum die 23. Iunij 1676.

De his aùtem facta relatione ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum die 18. Martij 1677. ſententiam Congregationis approbauit.

(C. Card. Maximus .

Locus ✠ Sigilli .

Michael Angelus Riccius Secr.

Die Menſe , & Anno ſupradictum Decretum , & publicatum fuit ad Valuas Curiæ , & in Acie Campi Floræ , vt moris eſt , ac in alijs locis ſolitis , & conſuetis Vrbis per me Franciſcum Antonium Simoncellum Sanctiſs. D. N. P. Curſor.

Pro D. Mag. Curſ. Io: Antonius Scaiola Apoſt. Curſ.

DECLARATIO

S. Congregationis Concilij Tridentini à S. D. N. Clemente P. P. IX. approbata ſuper acceſſu Regularium ad Monaſteria Monialium.

DIE 12. Maij 1669. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, habita notitia, quod nonnulli Regulares, abſquè licentia Crates Monaſteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes non eſſe interdictum per breue tempus, etiàm vſquè ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliaſque Perſonas intrà Clauſuram exiſtentes, alloqui, & hanc opinionem tanquàm tutam affirmant, diſſeminent, & forsàn etiàm ſcriptis euulgent, proprias grauiter illaqueantes conſcientias, ſcandala confouentes, ad huiuſmodi pernicioſos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, reijciens, ac damnans, declarauit; Regulares cuiuſcumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Inſtituti, etiàm de quibus ſpecialis mentio foret habenda, qui ad Monaſteria Monialium, quamuis ab Ordinarij iuriſdictione quomodolibet exempta, & etiàm ipſis Regularibus ſubiecta, vèl aliàs ſpeciali mentione digna, abſquè legitima facultate, accedunt, colloquendo, etiàm per quodcumque modicum temporis ſpatium cum Monialibus, aùt alijs intrà Clauſuram degentibus peccare mortali-

ter,

tèr , eoſque ſub Excommunicationis , priuationis vocis áctiuæ , & paſſiuæ , alijſque contra Regulares , accedentes , ſinè licentia ad Monaſteria Monialium , ſtatutis pœnis , poſſe ab Ordinario , tanquàm Sedis Apoſtolicæ Delegato coerceri .

Et die ſeptima Iunij eiuſdem Anni facta relatione S. D. N. Sanctitas ſua præſentem Declarationem approbauit , ac typis dari , ſeruariquè iuſſit .

(A Card. Celſus Præfectus .

Loco ✠ Sigilli.

S. Brancaccius Archiep. Andrianopolis Secr.

Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VII. & Innocentio XI. &c.

B V L L A

Fel. Record. S. D. N. D.

GREGORII PAPÆ XV.

Contra Sacerdotes in Confeſſionibus Sacramentalibus Pœnitentes ad turpia Sollicitantes.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNiuerſi Dominici gregis curam, quamquam immeriti cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò inuigilare tenemur; vt ab omnibus prauis contagijs conſeruetur immunis, multòque maiori ſtudio prouidere, vt omnis peſtis ab ijs auertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne quòd Euangelica ſcripta nos admonent, ſale infatuato, non ſit, in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autèm à Romanis Pon-

tificibus Prædeceſſoribus Noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuerit, vt impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſti fideles non eſſe, ſed nec etiàm nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicèt vt aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confeſſiones deputatus, ſacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cœleſti Medico, infernalis Veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis Animarum reddatur; Idcircò Nos ea, quæ his pernicioſiſſimis Diabolis inſidijs arcendis, certis locis ſalubritèr conſtituta ſunt, vt nullibi deſiderentur, quantùm ex alto conceditur, prouidendum duximus. Aliàs ſiquidèm à fel. record. Pio Papa IV. Prædeceſſore Noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis videlicet.

Pius Papa IV. Venerabili fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cùm ſicut nupèr, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus curam Animarum habentes, ſiuè eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis Confeſſionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi Confeſſiones, abutantur, nec illi, & qui id inſtituit, Domino Deo, & Saluatori Noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur, Mulieres videlicèt, pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt Confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in diuinæ Maieſtatis offenſam, & Animarum perniciem, Chriſtifidelium Scandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant; fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeù alios à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos tam Sæculares; quàm quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares cuiuſcunique dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis, Conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tàm ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligentèr inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreti-

cos, aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxtà exceſſuum ſuorum qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiamſi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, Sæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia, roboratis Statutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiàm motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis ha bentes, hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cœterisque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Aunulo Piſcatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Igitur vt litteræ prædictæ perpetuis futuribus temporibus, & vbique locorum inuiolabilitèr obſeruentur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum, præinſertas litteras huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta; Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, illaſque non ſolùm in prædictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibuſuis Chriſtiani Orbis partibus firmitèr, & inuiolabilitèr obſeruari præcipimus, & mandamus, ac præterea ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes tàm Sæculares, quàm quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicę immediatè Subiectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta ſiue inter ſe, ſiue cùm alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſiue antè, vel poſt immediatè, ſeù occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſequuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque, vbi confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeù ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire,

ſollicitare, vel prouocare tentauerint; aut cum illis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquiſitionis ſeueriſſimè, vt infrà puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & Territorijs per has noſtras litteras etiàm priuatiuè quoad omnes alios, ſpecialiter, & perpetuò Iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei iuxta Sacrorum Canonum formam, nec non Off. Inquiſitionis huiuſmodi Coſtitutiones, Priuilegia, conſuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiuſmodi nefarijs exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantijs ſuſpenſionis ab executione Ordinis, priuationis Beneficiorum, dignitatum, & Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiàm in perpetuum abſque vlla ſpe gratiæ, aliáſque pœnas decernant, eos quoquè ſi pro delicti enormitate, grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curię Seculari puniendos tradant. Dantes etiàm facultatem Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Generalibus, Inquiſitoribus, ne delictum tàm enorme, & Eccleſiæ Dei tàm pernicioſum remaneat ob probationum defectum, impunitum (cum difficilis ſit probationis) teſtibus etiàm ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, & Curiæ Seculari, vt præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtantib. omnibus, quæ dictus prędeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cœteriſque contrarijs quibuſcumque. Mandantes omnibus Confeſſarijs, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs, vt ſupra ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi Sollicitantes, ſeù vt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeù locorum Ordinarijs prædictis, quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confeſſarios Sollicitantes, ſeu tractantes, vt ſupra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem vt præſentium tranſumptis, etiàm impreſſis, manu alicuius Notarij publici conſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs Fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſę; quodque eædem præſentes litteræ, ſeù illarum exempla ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen., ac

Prin-

278

Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonalitèr intimatæ fuiſſent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Anuulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1622. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

GREGORIVS XV.

CONSTITVTIO

De exemptorum Priuilegijs circa Animarum Curam, & Sacramentorum adminiſtrationem Sanctimonialium Monaſteria, & Prædicationem Verbi Dei.

INſcrutabili Dei prouidentia Vniuerſalis Eccleſiæ regimini, meritis licèt imparibus præſidentes, Paſtoralis noſtræ ſollicitudinis partes eſſe dignoſcimus in eam Curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantùm Sacerdotibus ſanctè adminiſtrentur Eccleſiaſtica Sacramenta, atque vt Virginum Deo Sacrarum, Monaſteria diligentiſſimè cuſtodiantur, & viri aſſumantur idonei ad prędicationis officium ſalubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis proindè cautum eſt, nullum Præsbyterum etiam Regularem, poſſe Confeſſiones Secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium habeat, aut Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem,

nem, quæ gratis detur, obtineat; nec non vt in Monaſterijs, ſeù Domibus virorum, ſeu Mulierum, quibus imminet Animarum Cura perſonarum Sęcularium, præter eas, quę ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tàm Regulares, quàm Sęculares, huiuſmodi Curam exercentes, ſubſint immediatè in ijs, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt ſita. Itemque vt Epiſcopi vniuerſi ſub obteſtatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Clauſura Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent inobedientes, atque contradictores per Cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita compeſcentes. Atque vt Regulares in Eccleſijs ſuorum Ordinum prędicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur. In Eccleſijs vero, quę ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prędicare poſſint ſine Epiſcopi licentia; Contradicentem autèm Epiſcopo, nulli etiam in ſuorum Ordinum Eccleſijs prædicare pręſumant. Verùm quia experientia compertum eſt Eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, vt Decretis huiuſmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione noſtra, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac generali, & perpetuò valitura Conſtitutione, decernimus, ſtatuimus, & declaramus, vt deinceps tàm Regulares, quàm quomodolibet exempti, ſiue Animarum Curam Perſonarum Secularium Monaſterijs, ſeu Domibus Regularibus, aut quibuſuis alijs Eccleſijs, vel Beneficijs, ſiue Regularibus, ſiue Sęcularibus incumbentem exerceant, ſiue alias Eccleſiaſtica Sacramenta, aut vnum ex illis miniſtrent, præuia Epiſcopi licentia; & approbatione, ſiue quoquomodo in dictę Curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto abſque vlla auctoritate ſe ingerant, in ijs; quæ huiuſmodi Curam, ſiue Adminiſtrationem concernunt, omnimodi iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati plenè in omnibus ſubijciantur. Ad hęc tàm Regulares, quam Sęculares huiuſmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominùs ſi deliquerint circa perſonas intrà ſepta degentes, aut circa Clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiàm Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci ſimilitèr tamquàm ad hoc Sedis Apoſtolicę delegato, & quoties opus fuerit, puniri, & corrigi valeant; Confeſſores verò ſiue Regulares, ſiue Sæculares quomodocumque exempti tàm Ordi-

na-

narij, quàm Eſtraordinarij ad Confeſſiones Monialium etiàm Regularibus ſubiectarum audiendas, nullatenùs deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quę gratis concedatur obtineant. Sed & adminiſtrantes bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt pręfertur, etiam Regularibus ſubiectarum pertinentia, ſiue Regulares extiterint, ſiue Sæculares quomodolibet exempti, Epiſcopo loci adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamèn exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remedij cogi, & compelli queant. Liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, vt eiuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoueant, iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prędictos Confeſſores, & Adminiſtratores amouendi toties quotiès opus eſſe iudicauerit. At ſimiliter poſſit Epiſcopus vna cum Superioribus Regularibus, quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Pręfectarum, vel Prępoſitarum eorundem Monaſteriorum quocumque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac pręſidere, abſque vlla tamèn ipſorum Monaſteriorum impenſa. Ac demùm habeat Epiſcopus tamquam dictę Sedis Delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumque exemptos tàm Sęculares, quàm Regulares, qui in alienis Eccleſijs, aut quę ſuorum Ordinum non ſunt, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prędicare pręſumpſerint. Itaut Epiſcopi in ſubſcriptis caſibus, & in prænominatas perſonas, in pręmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quotiès, & quando opus fuerit; etiam extra viſitationem per Cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, vt eiuſdem Sedis delegati procedere, omnemque iuriſdictionem exercere licitè, & liberè valeant. Decernentes ſic per quoſcumque Iudices, quauis auctoritate fungentes, & Sacri Palatij Auditores, nec non S. R. E. Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque Perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, Militiarum etiàm S. Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſuis, alterius inſtituti etiàm neceſſario, & in indiuiduo exprimendi Monaſteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque tàm Sæcularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum, etiàm iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia

fir-

firmitate roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, vel titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis: Conſeruatorum deputationibus, eorumque, atque alijs inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur; & quibuſuis alijs, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, aut cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & de certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiàm per viam communicationis, ſeù extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem deportantes, mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil pœnitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, Pręſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad ea, quę eiſdem præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialitèr, expreſsè derogàmus; cœteriſque contrarijs quibuſcumque. Cœterum, quia difficile eſſet, pręſentes litteras ad ſingula quęque loca deferri, vt eæ tamèn omnibus innoteſcant; mandamus illas ad valuas Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, atque Cancellarię Apoſtolicæ, & in Acie Campi Florę publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eiſque detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus vt earumdem præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ſigillo Pręlati, ſeu Perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem pforsùs fides adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſę. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti declarationis decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autèm hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum &c.

Datum Romę apud S. Petrum Anno incarnationis Domiuicę 1622. Nonis Februarij, Pontificatus noſtri ſecundo.

V. Dat. S. de Vrſinis.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Sanctiſs. D. N. Clem. Diuina Prouidentia P. P. X.

CONSTITVTIO,

In qua Regularium Priuilegia quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacram. Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur.

CLEMENS Epiſcopus

SERVVS SERVORVM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SVperna magni Patriſfamilias præordinatione ꝯcreditum Nobis vniuerſalis Eccleſiæ myſticum agrum circumſpecta prouidentia cuſtodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) Satagentes animum in eas Curas libentèr intendimus, quibus valeant diſſidia inter Villicos, & Operarios componi, iurgia tolli, ſcandalis, atque offenſionibus aditus præcludi; Vt quibus vna fides, vna Mater Eccleſia, & vnus Dominus, qui charitas eſt, & pacis cogitans cogitationes; fiat etiam cor

vnum atque Animâ vna ; Sic etenim euulſis opportunè Zizaniis ; dum plantamus , & rigamus , incrementum dabit Deus , quo benedicente meſſis multa , fructu centeſimo cœleſte in horreum congregabitur.

Sanè cum Sacris Concilij Tridentini Decreti prouidè ſtatutum fuerit , vt Regulares cuiuſcumque Ordinis , niſi à ſuis Superioribus de vita , moribus , & ſcientia examinati , & approbati fuerint , ac de eorum licentia , etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare non poſſint ; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare , & ab eis benedictionem petere teneantur , antequam prædicare incipiant ; in Eccleſijs verò , quæ ſuorum Ordinum non ſunt vltrà licentiam ſuorum Superiorum , etiam Epiſcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur , ſine qua in ipſis Eccleſijs non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint ; Atque , vt nullus Sæcularis, ſiue Regularis etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum , contradicente Epiſcopo præſumat . Itidemque cum nullus Sacerdos Regularis poſſit Confeſſiones Sæcularium , etiam Sacerdotum audire , nec ad id idoneus reputari , niſi aut Parochiale Beneficium obtineat , aut ab Epiſcopis per examen , ſi illis videbitur eſſe neceſſarium , aut aliàs idoneus iudicetur , & approbationem , quæ gratis detur , obtineat , priuilegijs , & conſuetudine quacumque non obſtantibus . Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem , licentiam , contradictionem , examen , & approbationem eiuſmodi in aliquibus Diœceſibus excitatas fuiſſe , ex quibus controuerſiæ , diſſenſiones permultæ in diem ſubſequi poſſent occaſione priuilegiorum, quę per Sedem Apoſtolicam religioſis ordinibus conceſſa fuerunt.

Nos attendentes , quod aliàs diuerſis temporibus prædictæ dubitationes , & controuerſiæ nonnullis Prædeceſſorum noſtrorum ſummorum Pontificum Conſtitutionibus , eorumque Declarationibus definitæ fuerint , eiuſmodi definitiones , in vnum collectas , vt magis , magiſque diſſentionum tollantur ſemina , & in poſterùm firmior in agro Dominico pax Chriſti floreat , pro ſummo , quo fungimur Apoſtolatus Officio nouis Apoſtolicis litteris muniendas duximus , & roborandas . Itaquè de conſilio nonnullorum Venerabilium fratrum Noſtrorum Sanct. Roman. Eccleſ. Cardinalium , & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate , doctrina , & prudentia præſtantium , & matura deliberatione noſtra , atque ex certa ſcientia , hac generali , & perpetuò valitura conſtitutione decernimus , ac declaramus.

Regulares, qui in Eccleſijs ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere, prædicare tamèn poſſe quamuis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem ne dum non conceſſerit, ſed etiàm contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſijs licere Regularibus prædicare; Eoſque contrauenientes ab illo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, cenſuris, alijſque pœnis Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis Fel. Record. Gregorii XV. Prædeceſſoris noſtri incipientis, Inſcrutabili Dei prouidentia coerceri, & puniri poſſe. Epiſcopum tamèn abſque iuſta, & rationabili cauſa contradicere non debere; Et huiuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcumque Oratorijs ſui Ordinis Sermonem coram populo, vel in Eccleſijs, aut ad Crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum iuriſdictioni ſubiectarum, licet clauſis ianuis, & nullus Sæcularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autèm Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quamuis ab Vniuerſitatibus, aut Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueuerint, quoad doctrinam examinare, ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet viſum fuerit, & licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licet occultas, prædicationem tamèn concernentes ſuſpendere. Non poſſe tamèn Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicent. Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones Sæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas, abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione, audire, quamuis pœnitentes ſubditi ſint eius Epiſcopi, a quo ipſi Religioſi iam fuerant approbati. Et generalitèr approbatos ab Epiſcopo ad Perſonarum Sæcularium Confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione; Atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium vnius Monaſterij, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterij. Itidemque Confeſſores extraordinario ſemèl deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro vna vice audiendas, haud poſſe, expleta deputatione in vim approbationis huiuſmodi illarum Confeſſiones audire; Sed totiès ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Cœterùm in Monaſterijs, ac etiàm Collegijs, vbi iuxta regularia inſti-

tuta viuitur, poſſe tàm Prælatos Regularès, quàm Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeù Collegiorum audire Confeſſiones illorum Sæcularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui Commenſales, non autèm illorum, qui tantùm ipſis deſeruiunt. Illos autèm Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generalitèr reperti fuerint, ab Epiſcopis generalitèr quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos. Quoad cœteros verò, qui non adeò idonei reperiantur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere: Semel autèm ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quouis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque, etiàm Infirmorum Confeſſiones audire; abſque vlla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamèn Confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere, & hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis a facultate audiendi Confeſſiones præcipi. Sufficere tamèn vt certioratio huiuſmodi fiat ſaltèm per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis ſimplicitèr approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit omnis vtriuſque ſexus, quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos. Regulares verò ad eiuſmodi Confeſſiones audiendas, præuio examine ſimplicitèr, & abſque vlla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo; ſecùs autèm ſi ab eius Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbauit, iterùm examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeù licentias illis conceſſas reuocare, niſi noua ſuperueniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat. De qua tamen haud neceſſarium eſſe, vt in actis conſtet; nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare; Sed Sedi Apoſtolicę dumtaxat, vbi eam ſibi aperiri poſtulauerit. Porrò ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè viuant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi iudicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe, volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti pœnitentię qualitas, ſit vitę integritas, ac morum honeſtas; Vtque eam cauſam ad Confeſſionis miniſterium pertinere, ac proindè nihil obſtare, quominùs ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbàtos ſuſpendere, aut repellere à Con-

à Confeſſionibus audiendis. Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſoribus admitti ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica, nullatenùs poſſe. Ex facultatibus per mare magnum, aliaque priuilegia Regularibus cuiuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Ieſu conceſſis, factam eis non eſſe facultatem abſoluendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſeruatis. Et per confirmationes dictorum priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquàm reuixiſſe priuilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi quę habebant abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis.

Et habentes facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicę reſeruatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſeruatis poſſe abſoluere. Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſeruatis, non autem in illa, vbi idem Confeſſor eſt approbatus abſoluere, niſi eoſdem Pœnitentes nouerit in fraudem reſeruationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. Vigore ſupradictorum priuilegiorum nequaquàm licere Regularibus etiam ſatis facta parte abſoluere pœnitentes à cenſuris quoad externum, & iudiciale forum: & abſolutos ab eis in foro pœnitentiali, vtique non cenſeri abſolutos in exteriori iudicio, & contentioſo. Quinimò Cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quotiès exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis Priuilegijs coram Epiſcopo ab eo iudicetur, ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur: ſi dictorum Priuilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua; non eſſe ad Metropolitanum prouocandum, ſed cum eius & interpretari, cuius eſt condere; dictorum Priuilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ iudicio, prout aliàs Conſtitutione Prædeceſſoris Noſtri Fel. Recordat. Clementis IV. ſtatutum fuit eſſe requirendam.

Decernentes ſic, & non aliàs per quoſcumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos quauis auctoritate, & dignitate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ſanct. Rom. Eccleſ. Cardinales etiàm de latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, & quoſuis alios, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quo-

quam

quam, quauis authoritate ſcientèr, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque perſonarum, atque quorumuis Ordinum tam Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum etiam Ieſu, ac cuiuſuis alterius Inſtituti etiam neceſſariò, & in indiuiduo exprimendi, Monaſteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque tam Sæcularium, quam Regularium locorum, nec non illorum etiam Iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis; Conſeruatorum deputationibus, eorumque, atque alijs inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibuſuis alijs ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & alijs Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeù extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas Generales idem importantes mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil pœnitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus plenè, & ſufficientèr expreſſis, & inſertis habentes illis, quoad ea, quæ eiſdem præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie, ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrarijs quibuſcumque. Cœterorum quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, vt ea tamèn omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valuas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ affigi, & publicari. Volentes, quod earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu tamèn alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, in iudicio, & extra illud,

illud, vbi opus fuerit, eadem prorsùs fides adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſę. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum Decreti, declarationis, Derogationis, Mandati, & voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autèm hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ 1670. Vndecimo Kalendas Iulij, Pontificatus Noſtri Anno primo.

G. Dat.

Viſa de Curia P. Ciampinus I. G. Sluſius D. Ciampinus.

DECLARATIONES

Aliquot S. Congregationis Concilij

SANCTISSIMI

D. N. VRBANI

Diuina Prouidentia Papa VIII.

AVTHORITATE EDITÆ

Super Decretis eiuſdem Congreg.

De celebratione Miſſarum.

SVper primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Miſſarum , quo prohibetur ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo ; aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum , aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limina fundationis,

Quæritur quid ſi legatum ſit ita tenue , vt non ſit , qui velit onus illi iniunctum ſubire, & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris , totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſarijs ?

Et quid ſi permittatur Epiſcopo in fundatione vt poſſit huiuſmodi onera moderari?

Secundo, ſuper ſecundo eiuſdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynę præſcriptę fuerint.

Quæritur. An Verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò. An cum ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam iuxta qualitatem loci Perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò. An Sacerdotes, qui teneatur Miſſas celebrare ratione Beneficij, ſeù Cappellæ, Legati, aut Salarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis Votiuis, ac Defunctorum recipere, & vnico Miſſæ Sacrificio vtrique oneri ſatisfacere?

Quintò poſito, quod Teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius Anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſinæ.

Quæritur, An liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſibi benè viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna preſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quęritur, An Verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt priuilegium?

Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congreg. Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynę ſibi retenta, celebrandam committat.

Quęritur, An permittendum ſit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſio manutentionis Eccleſiæ, Altarium inſeruientium, paramentorum, luminum Vini, hoſtię, & ſimilium?

Octauò. An hoc Decretum habeat locum in Beneficijs, quę conferuntur in titulum, idest, An Rector Beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redditu um Beneficij?

Decimò. An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ debeant dare eamdem integram eleemoſynam ijs, quibus Miſſas celebrandas committunt? An vero ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Vndecimo ſuper quinto eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cœtera ſtatuitur in hæc verba, eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant: Alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant &c.

Quæritur. An hoc Decretum prohibeat abſolutè, quominus accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerunt, & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimo quid ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, vt Sacerdos Miſſam celebret cum primum poterit?

Decimo tertio, An pœna interdicti, & aliæ oppoſitæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemoſynas, contra formam ibi præſcriptam, quam eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſijs vt ibidem præcipitur?

Decimo quarto. An in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quę apponi ſolent in Eccleſijs in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur Caſſe de Morti?

Decimo quinto. An Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ deuotionis, & concurſus poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi ijſdem Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt minuantur?

Decimo ſexto, Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum Locorum tam Sæcularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (& alijs, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione.

Decimo ſeptimo, Super ſeptimo eiuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt ſingulis Monaſterijs Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſubſtentari.

Quæ-

Quæritur. An vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim ſimilis Decreti Sanc. Mem. Pauli V., abſque tamen computatione redditųum cuiuſque Religioſi, ſit denuò facienda nec ne?

Decimo octauo. An Nouitij ad habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſterijs, in quibus, habita vt ſupra, præfixione numeri, commodè ali non poſſint?

Decimo nono ſuper vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, niſi, præter alia, ad id requiſita, duodecim ſaltem fratres in eis degere, & competenter ſubſtentari valeant, itaut alioquin ſubſint iuriſdictioni ordinariæ.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt Religiones Cappuccinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimò. An idem Decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, authoritate ſibi à Sanctiſs. D N. attributa ad ſingula dubia ſuperius propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet:

Ad primum, & ſi Legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, vt ſupra, impoſſit, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino eſſe iudicauerit; Verumtamen ſi in ipſa Beneficij erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta, hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam, numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium teneri,

Ad quartum Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficij, ſeu Cappellæ, Legati, aut Salarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiàm Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo preſcribendam eleemoſynam congruam, quę reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouincię.

Ad ſextum ità eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum reſpondit, permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeù illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam vtcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi tum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earumdem expenſarum erogare, licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm Miſſæ Sacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ: & nihilominùs eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quę ſuperſunt expenſis, vt ſupra, deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot preſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octauum non habere locum, ſed ſatis eſſe, vt Rector Beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, niſi in fundatione ipſius Beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad vndecimum, reſpondit, non prohibere abſolutè: Ac propterea, etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint; poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus, adimpleri nequeant, ſi tamèn tribuens eleemoſynam, pro aliarum Miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat, vt illę tunc demum celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominùs eo caſu eleemoſyna accipiatur pro ijſdem Miſſis, iuxta Benefactorum conſenſum celebrandis.

Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimum quartum, comprehendi.

Ad decimum quintum, non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſponſione ad duodecimum.

Ad

Ad decimum ſextum , comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimum ſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſeruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum octauum , eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.

Ad decimum nonum, cenſuit comprehendere.

Ad vltimum, habere locum etiàm extra Italiam.

Coſmus Cardinalis de Torres.

Locus ✠ Sigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Cong. Sec.

DECRETVM

De non celebrandis Miſſis priuatis pro Defunctis

In Feſtis Duplicibus.

CVm Sanctiſſimus Dominus noſter in Viſitatione Eccleſiarum Vrbis acceperit , in pleriſque Eccleſiis abuſum irrepſiſſe celebrandi Miſſas priuatas pro Defunctis, etiam in feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani , eumdemque abuſum Decreto Congregationis eliminari præceperit . Innotuerit verò Sacrorum Rituum Congregationi, huiuſmodi abuſum, etiàm in alijs Eccleſijs vbique gentium exiſtentibus , inductum paritèr reperiri. Sacra eadem Congregatio, vt Miſſalis Rubricæ inuiolatæ ſeruentur, diſtrictè præcipit omnibus , & ſingulis Sacerdotibus tàm Sæcularibus , quàm Regularibus , cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis , & inſtituti, etiàm neceſſariò exprimendi, vt in poſterùm omninò dictam Rubricam ſeruent , itaut Miſſas priuatas pro Defunctis , ſeù de requie in duplicibus nullatenùs celebrare audeant , vel præſumant . Quòd ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ huiuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex , tùnc minimè traſferantur in aliam diem non impeditam , ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit ,

ſed dicantur de feſto currenti cum applicatione Sacrificij iuxta mentem eorumdem Benefactorum. Curentque Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, alijque, ad quos pertinet, vt huiuſmodi Decretum inuiolatè ſeruetur, & in Sacriſtia affixum retineatur, vbi commodè ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit. In eos autèm, qui contrafacere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, locorum Ordinarij, tùm Sæculares, tùm Regulares pro modo culpæ animaduertant.

Die 5. Auguſti 1662.

Et facta de prædictis Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua annuit, & cum applicatione Sacrificij ſatisfieri, ac Benefactorum mentem impleri voluit.

Eadem die quinta Auguſti 1662.

Epiſcopus Sabinen. Card. Sacchettus.

Locus ✠ Sigilli.

Franciſcus Maria Phœbeus Sac. Rituum Congreg. Sec.

PRO

PROPOSITIONES
Damnatæ
A Sacra Congregatione
Contra hæreticam Prauitatem
De Mandato SS. DD. N. N.
ALEXANDRI P.P. VII.
E T
INNOCENTII XII.

Feria v. die 24. Septemb. 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſs. D.N. Alexandro, Diuina Prouidentia Papæ VII., ac Eminentiſs., & Reuerendiſs. DD. S. R.E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem generali-

bus

bus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialitèr deputatis.

SAnctiſs. D. N. audiuit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxatiuas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas, iterùm ſuſcitari, partim nouitèr prodire. Et ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit, alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet chriſtianæ vitæ corruptela. Quare ne vllo vnquam tempore via ſalutis, quam ſuprema veritas, Deus, cuius Verba in æternum permanent, arctam eſſe definiuit in Animarum perniciem dilatari, ſeù verius peruerti contingeret, idem Sanctiſs. D. N. Vt oues ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam euocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſs., & Reuerendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit; Qui tantùm negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis Propoſitionibus ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſignificatim expoſuerunt.

I. Homo nullo vnquam vitę ſuę tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.

II. Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

III. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hęreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogari facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt Anno 1629. 18. Iulij in Conſiſtorio S. Congregat. Eminentiſs. Card. viſa, & tolerata eſt.

IV. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientię abſoluere quoſcumque Sęculares ab hęreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

V. Quamuis euidenter tibi conſtet Petrum eſſe hęreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

VI. Confeſſarius qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam, poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proindè non eſt denunciandus.

VII. Modus euadendi obligationem denunciandę ſollicitationis eſt: ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt illum abſoluere abſque onere denunciandi.

VIII. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Vrbani VIII.

IX. Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſę celebrandę traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.

X. Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus Sacrificijs ſtipendium accipere, & Sacrificium vnum offerre; neque enim eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione, etiam iuramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

XI. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

XII. Mendicantes poſſunt abſoluere à Caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

XIII. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato; ſed ab eo iniuſtè reprobato.

XIV. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

XV. Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

XVI. Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium Simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere, minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

XVIII. Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ vita non poteſt innocens, damnum euitare.

XIX. Non peccat Maritus occidens propria authoritate Vxorem in Adulterio deprehenſam.

XX. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante Sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod ſit pœna.

XXI. Habens Cappellaniam collatiuam, aut quoduis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuę obligationi, ſi officium per alium recitet.

XXII. Non eſt contra Iuſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interueniente non exigit illam pro collatione Beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quòd tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortalitèr, niſi ea contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubijcere pręcepto.

XXIV. Mollities, Sodomia, Beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ideoq; ſufficit dicere in Confeſſione ſe procuraſſe pollutionem.

XXV. Qui habuit copulam cum ſoluta ſatisfacit confeſſionis pręcepto, dicens Commiſi cum ſoluta graue peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

XXVII. Si liber ſit alicuius Iunioris, & Moderni, debet opinio cenſeri probabilis dum non conſtet reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquàm improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur; Intereà idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit prædictas Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, & nimirum tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: Itaut quicumque illas, aùt coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiàm diſputatiuè, publice, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnan-

do, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſupèr diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub intermi-natione diuini Iudicij, prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac Status, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima Nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Io: Lupus S. Rom., & Vniuerſ. Inquiſ. Notar. &c.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. Noſtri Ieſu Chriſti 1665., Inditione tertia, die verò ſecunda Menſis Octobris, Pontificatus autèm Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri, Diuina Prouidentia Papæ VII. Anno vndecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, in Acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Carolum Melanum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

Feria V. Die 18. Martij 1668.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. Alexandro Diuina Prouidentia Papa VII.

VII., ac Eminentiſs., & Reuerendiſs. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt examinatis ſedulò, & accuratè vſque ad hanc diem infraſcriptis alijs quadrageſimum quintum numerum implentibus per plures in Sac. Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reuerendiſſimos DD. Cardinales, aduerſus hæreticam prauitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper vnaquaque ipſarum audiuit.

Propoſitio XXIX. in die Ieiunij, quis ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit non frangit ieiunium.

XXX. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant ſunt excuſati ab obligatione Ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio.

XXXI. Excuſantur abſolutè à præcepto Ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant.

XXXII. Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in quadrageſima obliget.

XXXIII. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poſſe per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficij fecerit.

XXXIV. In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

XXXV. Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

XXXVI. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſſè reuocata per Concilium Tridentinum.

XXXVII. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie ſunt reualidatæ.

XXXVIII. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

XXXIX. Illa particula (quamprimum) intelligitur cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

XL. Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.

XLI. Non eſt obligandus Concubinarius ad eijciendam Concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum Concubinarij (vulgo Regalo,) dum deficiente illa, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ æpulæ tędio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur.

XLII. Licitum eſt Mutuanti aliquid vltra Sortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus.

XLIII. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plùs quàm per decem annos.

XLIV. Quoad forum Conſcientiæ, Reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

XLV. Libri prohibiti donèc expurgentur, poſſunt retineri vſq; dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decreuit, prædictas Propoſitiones, & vnamquamq; ipſarum, vt minimum, tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet. Ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut eis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione diuini Iudicij, prohibet omnibus Chriſtifidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac Status, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima Nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Io: Lupus S. Rom., & Vniuerſ. Inquiſ. Notar.

Loco ✠ Sigilli.

Anno

Anno à Natiuitate D. Noſtri Ieſu Chriſti 1666. Inditione quarta, die vero 23. Menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini N. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. Anno vndecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

Feria v. Die 2. Martij 1679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Diuina Prouidentia Papa XI. ac Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

San-

SAnctiſſ. D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ouium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxijs doctrinarum paſcuis ab innoxijs à Fel. Recor. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens; plurimas Propoſitiones partim ex diuerſis, vel libris, vel theſibus, ſeù Scripus excerptas, & partim nouiter adinuentas Theologorum plurium examini, & deindè Eminentiſs., & Reuerendiſs. Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem, Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit, quibus Propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſæpius diſcuſſis; eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum Votis per Sanctitatem ſuam auditis: Idem Sanctiſſimi D. N., re poſtea maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit pro nùnc ſequentes Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicut iacent, vt minimum tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen ſanctitas ſua per hoc Decretum, alias Propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas, vllatenùs approbare.

I. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de Valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm vtendum non eſt in Collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

II. Probabiliter exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.

III. Generatim dum probabilitate, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus, ſemper prudentèr agimus.

IV. Ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

V. An peccet mortalitèr qui actum dilectioni Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

VI. Probabile eſt ne ſingulis quidem rigorosè quinquennijs per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

VII. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.

VIII.

VIII. Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem ad ſolam voluptatem non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſui actibus frui.

IX. Opus Coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

X. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

XI. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

XII. Vix in Sæcularibus inuenies, etiàm in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

XIII. Si cum debita moderatione facias, poteſt abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

XIV. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirùm ei obuentura eſt pinguis hæreditas.

XV. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe inebrietate perpetrato propter ingentes diuitias indè ex hæreditate conſecutas.

XVI. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

XVII. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

XVIII. Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, vt peccaminoſum per ſe, non damno.

XIX. Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

XX. Hinc poteſt quis prudentèr repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

XXI. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

XXII. Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

XXIII. Fides latè dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimiliue motiuo ad iuſtificationem ſufficit.

XXIV. Vocare Deum in Teſtem mendacij leuis, non eſt tanta irreuerentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

XXV. Cum Cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi ſiue res ſit leuis, ſiue grauis.

XXVI. Si quis vel ſolus, vel coram alijs, ſiue interrogatus, ſiue propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus.

XXVII. Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quotiès id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

XXVIII. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

XXIX. Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

XXX. Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

XXXI. Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei.

XXXII. Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

XXXIII. Licitum eſt tam hæredi, quàm Legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur ſe taliter defendere, ſicut, & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

XXXIV. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur.

XXXV. Videtur probabilem omnem fœtum, quamdiu in vtero eſt, carere Anima rationali, & tunc primum incipere eamdem

hà-

habere cùm paritur, ac conſequentèr dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

XXXVI. Permiſſum eſt furari; non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.

XXXVII. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

XXXVIII. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

XXXIX. Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum, tertio non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

XL. Contractus Mohatra (vulgo Stocco) licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito cum intentione lucri.

XLI. Cum numerata pecunia prætioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt Creditor aliquid vltra ſortem a Mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari.

XLII. Vſura non eſt, dum vltra Sortem aliquid exigitur, tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolùm ſi exigatur tanquàm ex iuſtitia debitum.

XLIII. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine eliſere.

XLIV. Probabile eſt non peccare mortalitèr, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

XLV. Dare temporale pro Spirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam prætium, ſed dumtaxat tanquàm motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit, ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

XLVI. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; Imo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic vt illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

XLVII. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, ad Eccleſias promouent, Con-

cilium, vel primo videtur per hoc digniores, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto Comparatiuo, pro poſitiuo: vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos: Vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus.

XLVIII. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam inuoluere malitiam, & ſolum eſſe malum, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

XLIX. Mollities iure naturę prohibita non eſt; Vnde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

L. Copula cum Coniugata, conſentiente Marito, non eſt Adulterium; Adeoque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.

LI. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem; & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne Domo expellatur.

LII. Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

LIII. Satisfacit pręcepto Æccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes immò quatuor ſimul à diuerſis celebrantibus audit.

LIV. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

LV. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini Communionem.

LVI. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentilitèr viuunt, eſt nota prædeſtinationis.

LVII. Probabile eſt ſufficere Attritionem naturalem, modò honeſtam.

LVIII. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

LIX. Licet Sacramentaliter abſoluere dimidiatè tantùm Confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtiuitatis, aut Indulgentiæ.

LX. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

LXI. Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi

di verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; Quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

LXII. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

LXIII. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

LXIV. Abſolutionis capax eſt homo, quantumuis laboret ignorantia Myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

LXV. Sufficit illa Myſteria ſemèl crediſſe.

Quicumque autèm cuiuſuis conditionis, Status, & dignitatis, illas vel illarum aliquam coniunctim, vel diuiſim defenderit, vel ediderit; vel de eis diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, vel prædicauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſupèr diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione diuini Iudicij, prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac Status, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima Nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem, vt ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alij quicumque, in poſterum ſe abſtineant, & vt paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, eis præcipit, vt tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in Theſibus, Diſputationibus; ac Prædicationibus, caueant ab omni Cenſura, & Nota, necnon à quibuſcumque conuitijs, contra eas Propoſitiones, quæ adhùc inter Catholicos hinc inde controuertuntur, donec a S. Sede recognitæ ſuper ijſdem Propoſitionibus Iudicium proferatur.

Franc. Riccardus S. R. & Vniuerſ. Inquiſ. Not.

Locus ✠ Sigilli.

Anno

Anno à Natiuitate D. Noſtri Ieſu Chriſti 1679. , Inditione ſecunda , die verò 4. Menſis Martij , Pontificatus autèm Sanctiſſimi in Chriſto Patris , & D. N. D. Innocentij , Diuina Prouidentia Papæ XI. Anno Tertio , ſupradictum Decretum affixum , & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum , Cancellarię Apoſtolicę, ac in Acie Campi Floræ , ac in alijs locis ſolitis , & conſuetis Vrbis per me Franciſcum Perinum eiuſdem Sanctiſſimi D. Noſtri , & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.